

RESERVADO

172

B. N. L.

Res, A-269


Vertical text on the left margin, likely bleed-through from the reverse side of the page.



GEOR

GI CASLI
TANTI PETS
TIENTA
MUNA
YMS.







EXCELLENTISSIMO PRIN
cipi & reuerendissimo domino D. Henrico Infanti
Portugalliae, Archiepiscopo Bracarēsi & His-
paniarū Primate Georgius Coelius Lusitanus Sa-
lutem plurimam dicit.



*V*m nuper paucis diebus feriārer, & ad
musarū studia diuenterē Princeps illustris-
sime, ut ocij mei ratio mihi constaret libuit
christianam patientiam pulcherrimū ma-
ximi Dei munus carmine heroico celebrare. Non quōd
id admodum necesse ducerem: qui eam prouinciam à san-
ctissimis eruditissimisque uiris summa cum laude susce-
ptam uiderem: sed quia ipsius partibus pertractādis ani-
mum meum ad eam colendam magis confirmatū iri spe-
rabā. Quid enim in uita pulchrius? quid Deo acceptius
patientia christiana? Hæc uelut gladius quidā anceps
duabus acerrimis freta sororibus continentia, & tolerā-
tia nūc rebelles affectus domat, & antiquo cum serpē-
te confligit, nunc recti honestatisque causa res arduas,
atque difficillimas audet perpeti: nec eam impatien-
tis demonis iniustitia de gradu mouere potest. Hæc in-
quam fortitudinis comes perpetua quæadmodum à ue-
ra domini nostri Iesu Christi dilectione profecta est.

qui

qui nobis in summum patiētiæ exemplar datus est: ita nō sine eiusdem Dei optimi maximi gratia mortalibus concedi potest. Per hanc ad cælū sancti prophetae, Christiq; martyres ascenderunt: per hanc uetustissimi philosophorū eius sapiētiæ dono quæ à natura profecta est. æternum decus meruerūt. Hæc Socratem, Anacharsim, Xenocratem, Polemonem, Pythagoram, eiusque filiā Damō (ut reliquos taceam) laudibus euexit: hæc postremo antiquos Heroas, Persarumque regulos (quod Plato testatur) formauit, atque erudit. Salue uirtutū omnium custos indefessa: Salue hūanæ infirmitatis remedium, contraque omnia uitæ incommoda præsidium singulare, tu mentem erigis: tu intercutibus stupris mederis: tu labores doloresque mitigas: tu paruo contētos: tu beatos facis: tibi nos totos tradimus: tibi dum uitam agimus nos in perpetuum sacramus. Denique qui se patientiæ armis cinxerit eiusque consuetudine animū offirmauerit: huic ne grauissimi quidē fortunæ casus negociū exhibuerint. Sed ut ad te Princeps humanissime redeam cuius potius hoc opusculū dicari debuit. Quæ tibi? Qui non minus hæc quæ cæteris præstas uirtutibus: in quo summa regij sanguinis nobilitas: ita cum summis ingenij dotibus coniuncta est: ut utraque res alteri eximio decori sit & ornamento. Nēpe præter cætera quæ ad

bene beateq; niuendum conducunt illud etiam perpetuo
meditaris. Quod Claudianus poeta insignis carmini-
bus expressit.

Scilicet in uulgus manant exempla regentum:

Vtque ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Quis non animi tui magnitudinem, iustitiam, mode-
stiam, altissimamque prudentiam, rerumque humanarū
despicientiam laudibus efferat? Quis non mores uitæq;
integritatē quibus perfecti Præsulis munia imples ad-
miretur? In te nullo tempore iacet aut succumbit ratio:
sed inuicta atque imperans tanq; in arce manet: tuæq;
cogitationi illud semper obuersatur: quod Ennius pro-
tulit in Epicharmo.

Terra corpus est: at mentis ignis est.

Sed non erat nostri instituti latum uirtutum tuarum
encomium angustiis epistolæ finibus coarctare. Quare
hæc commodiori tempore reseruantes: a te Princeps hu-
manissime petimus. Vt hanc nostram qualēcunq; lucu-
bratiunculam. & benigna fronte (Vt cætera soles) su-
scipere, & tui nominis summa authoritate protegere,
complectique digneris. Vale.

GEORGII COELII LVSI
tani in libellum de Patientia Christiana ad
Henricum Infantem Principem illu-
strissimum, Archiepiscopum
Eracarensem, & Hispa-
niarum Primatem
Præfatio.



Vntenerã etatẽ magni formaret Achillis
Phillyrides Chiron uertice Peliaco
Iam tunc Aeaciden foetas agitasse leenas,
Atq; graues Lapithas exuperasse ferũt.
Non illum uastæ secreta horrentia syluæ,
Nec tardant amnes, Thessalica ue niues.
Qua; fremit Peneus per spumea saxa uolutus
Pectore præcipites excipiebat aquas.
Aemoniæ ualles illum mirantur & Othris,
Atq; Ossa, & Pindus, Aemathia; q; plagæ.
Sed postq; noto gaudens successerat antro,
Dilecto se se reddideratq; seni.
Protinus Heroum ueteres cantabat honores
Auratæ quatiens fila beata lyræ.
Sic puerile decus nunc dulcis gloria Phœbi,
Nunc labor, & studium Martis ad astra uehunt

PRÆFATIO.

At tu quem Deus innumeris uirtutibus auget

Henrice Hespericæ gloria magna plagæ.

Post uarias rerum curas, sanctosq; labores

Hæc facili quæso carmina mente lege.

Atq; utinam ut fortem Chelys oblectabat Achille.

Afficiat sensus sic mea musa tuos.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

GEORGII COELII LVSITANI
tani de patientia Christiana libellus.



Vmme opifex rerū qui miro incēsus amore
Tristia dum primæ deles incommoda culpe
Infandos hominum uoluisti ferre labores
Dexter adi mea cæpta p̄r: mibi sc̄tā uirago

Quæ uero in terris patientia nomine dicta est.
Carminibus dicenda nouis: ut tempore in omni
Dum tibi deuoto famulatur pectore & actis.
Inuidiæ scelus, atq; inferni monstra tyranni
Pertulit, utq; eadem numero dignata Deorum
Ingentem meruit deuicto ex hoste triumphum.
Viderat hanc olim tenebroso è limine tecti
Inuidia haud ulli meditantem cedere culpæ,
Atq; alacri humanas superantem mente procellas:
Utq; eadem nigro serpentum pasta ueneno
Institerat baculo quem spineaserta tegebant.
Ingemit, & tales effudit pectore uoces.
Heu faciem inuisam, atq; meis contraria uotis
Numina? num defessa dolet? num uicta labore
Frangitur? aut mentem peruadit blanda uoluptas?
Vsq; adeo ne meis conatibus officit una?
Et nostris impune illudit foemina ceptis?

Quis nobis super ullus honos? aut quid iam erit ultra
Inuidia? hæc uires? hæc est mea magna potestas?

At non interea me curua in ualle sedentem

Aspicias uirgo infœlix: te scilicet omni

Arte sequar: uiolabo diem, iam iamq; proterua

Voce petam, aut uirus tacite in præcordia fundam.

Irrita quæ si forte cadant: ego tartara questu

Implebo, atq; imo furias Acheronte ciebo

Exitium latura tibi. sic fata reliquit

Vipeream sine luce domum, sedesq; nocentes:

Et ferrugineum pectus fucata iuuenta:

In faciem pulchri se se transformat ephebi,

Addit opes, Regumq; decus: Chlamys aurea tergo

Enitet, & fulua constringit iaspide pectus:

Quam subter tunica, picturatumq; metallis

Stamine uiuit opus: lunatus uertice fulget

Et crinem madidum molli tegit arte tiaras:

Lucent conspicuo baccata monilia collo:

Gemmatæ manica, gemmataq; uincula crurum,

Et limbo intextæ radiabant undiq; gemmæ.

Hoc adeo mentita decus, bene gnara nocendi

Protinus ad sedem: Quæ se patientia diuum

Exercet studio: rapido cum flamine defert.

Orbe locus medio est: candenti lumine solis

Feruidus:

Fernidus: hunc uepres, lateq; horrentia cingunt
 Dumeta, & nigri illustrant impune Ceraſtæ.
 Hic non è nitido conſurgunt marmore tecta,
 Non adoperta auro laquearia celſa renident:
 Sed tantum æſculeis ramis, & ceſpite uiuo
 Stat conſtructa domus: ſedet ipſo in limine Virgo,
 Et rigido mentem, uitamq; impendit honeſto.
 Tempore forte illo recolit quàm certa Tonantis
 Gratia non modicos homini perferre labores
 Inuidiſ animis conceſſerit: æthera ſi quis
 Optat, & ingenti affectat cæleſtia uoto.
 Perpetuo Chriſti mentem labefactus amore:
 Quæ ſpes uel medijs flagrantem incudibus Aetnæ
 Securum faciat gelida ceu fuſus in umbra
 Propter aquam molles capiat in gramine ſomnos.
 Talia tum forti pendebat mente uirago.
 Huic tantum ſimplex it circum pectora amictus
 Candidus, & nulla uitiatus lege parentum.
 A ſummo impreſſa tangit ueſtigia palla.
 Vberibus propior ſubnectit fibula ueſtem:
 Candentesq; ſuper bacca flauentibus errant
 Crinibus: ardebat capiti crux addita ſummo.
 Ore minax riſus, frons nullo turbine mentis
 Nubila, mœror abeſt, coeloq; intenta ſereno

Effundit

GEORGII COELII

Effundunt castas ardentia lumina flammæ.
 Ad quam tum falsæ portans mendacia formæ,
 Regalesq; induta habitus his uocibus usa est
 Inuidia: O tali uirgo indignissima sorte,
 Et tristi damnata loco, quæ te impia fata
 Huc adigunt, Quonam usq; situm patiere malignum?
 En ego magnorum prisco de sanguine auorum,
 Orbe potens dominus, regnorumq; inclytus hæres.
 Ipse tuum cæco iam pridem saucius igni
 Coniugium exposco: nam te pulcherrima fas est
 Dum licet egregiam thalamo sociare iuuentam.
 Vina pete, atq; epulas, nitidum caput ungere nardo,
 Sit potius tibi sancta Venus: iam effeta senectus
 Huc aderit: (nec enim longa est mortalibus ætas.)
 Quæ uitam melius: & mores uendicat istos:
 Quæ te uirgo manent regnis connubia nostris?
 Quot famulæ, quam celsus honos? tu tempore in omni
 Diceris foelix domino coniuncta potenti,
 Et medias mecum incedes regina per urbes:
 Tu modo sollicitum ne me contemne, meosq;
 O facies animo longe gratissima nostro
 Dignare amplexus: post mortem nulla uoluptas.
 Dixerat: atq; illam toruo patientia uultu
 Iandudum aspectans sancto sic ore profatur

Haud

Haud me diuersa fallis sub imagine monstrum:
 Agnosco ambiguos uultus, mentitaq; uerba.
 Euincam tamen ipsa dolos: mea pectora nanq;
 Diuum incendit amor: quem tu nec mente prophana
 Lœdere, nec grauior ueniens acheronte potestas
 Expugnare queat: Quanto funestius uni
 Struxeris insidias tanto maiore profecto
 Pulsa cades gemitu: uiget hoc certamine uirtus.
 Quôq; magis uideas: ut frustra hæc lumina tentes
 Pauca tibi referam: nec me labor iste grauabit.
 Principio totum Genitor qui temperat Orbem
 Cum ueterem in terris Adamum pauloante creatum
 Obscelus admissum damnaret: tempore ab illo
 Inuasere hominem gemitus, sœuiq; labores,
 Atq; etiam duræ rapit inclementia mortis.
 Tum uariæ insurgunt pestes: furor impius una,
 Et spes audaces, & plumbea mente uoluptas
 Et metus, & studium præceps, odiumq; nefastum,
 Per domuisse animum certant: quæ monstra per orbem.
 Infandas ædunt strages: cum lumina recti
 Depulit, & ueros turbauit opinio sensus.
 At non ingenti si quando mole resistat
 Et sese in medias acies ferat ignea uirtus:
 Hæc hominem superare queant: sedet arce nitenti:

Sublimis:

GEORGII COELII

Sublimis ratio, foedoq; ex hoste triumphat:
 Assaultusq; pati uarios, hostemq; domari
 Edocet, & sensu manet imperterrita eodem.
 Hæc eadem uitæ lachrymas, duraq; catenas,
 Et quæ præcipites ædunt exempla Tyranni
 Pro Christo subiisse facit: me pone sub axe
 Arctoo expositam Cauris, Coeliq; ruina:
 Aut calidis trans mitte notis sub sidere Cancri
 Hesperidum nitidos hortos, & amena uireta
 Me rear ingressam Alcinoi: patiensq; profundos
 Euincam gemitus: mihi gratia magna Tonantis
 Aspirat, sanctumq; animis largitur amorem
 Ne uerear quæcunq; pati, neu cæca uoluptas
 In præceps miseram rapiat dum corde sub imo
 Venturæ reputo pulcherrima præmia uitæ,
 Et bona cælicolum quæ nulla intercipit ætas.
 Sic pater ille hominum clemens sic arbiter æui
 Instituit: ne uicta malis succumberet usq;
 Pulsa loco ratio, & præclara relinqueret orsa.
 Quamq; magis crucior tam me coelestia fastam
 Delectant tormenta magis: quia digna uidentur
 Interea, atq; uni insudant mea pectora Christo.
 Non ego Taigeti gelidis aspersa pruinis,
 Atq; etiam Eurotæ medijs exercita in undis:

Nec

Nec me dum uarijs bellantur Amazones armis
 Flumina peltatam uiderunt Termodoontis
 Sed mea me pietas, & sancta oracula Christi
 Insidias contra, & uirtuti obstantia fata
 Inuictam fecere animis: hæc nostra securis,
 Hæc pelta, hic ingens arcus, Vulcaniaq; arma.
 Omnipotens Deus atq; hominum seruator Iesu
 Dum te sollicite recolo, tuaq; undique nostris
 Acta libens propono oculis. Quid non rear ultro
 Mortales debere pati: tibi iure rependo
 Quæ pro me pateris miro inflammatus amore
 Tu clauos, soeuamq; crucem, tu dira subiisti
 Verbera, & immensos animo superante dolores
 Cœli opifex rerumq; Deus meus: a st ego pro te
 Cur non & uitæ patiar mala? Christe redemptor
 Tu nobis imitande ueni: decertet ubiq;
 Auspicijs mea uita tuis: nil deniq; acerbum
 Pro laude, & sancto ueræ pietatis honore
 Esse rear: nec me diuersam tramite honesti
 Error aget: tu nanq; animos terrena perosos
 Aurea quò uirtus flamma maiore nitescat
 Tristibus exerces curis: tu uoce beatos
 Esse refers. Quicunq; fleant, qui pectore forti
 Contemnant uarios terræq; hominumq; labores

Qui

GEORGII COELII

Qui patitur pietate uiget: patientia quippe
 Sanctorum est custos operum: neq; segnius omne
 Dedecus, & coecis cohibet te soeua latebris
 Inuidia: o coeleste bonum: quod tempore in omni
 Concilias Christo: quod nulla infesta retundant
 Agmina tartarei populi: qui bella Gygantum
 Impius, impatiensq; sui meditatus in ipso
 Natali, eiectusq; polo est: mox crimina patris
 Arbore decepti transfudit in omnia secla.
 Monstrum aduersum homini uitiorum alimenta tuorū
 Pectore sollicito regales extrue gazas:
 Attamen ex animo patientis paupere uita
 Quis maior thesaurus erit? quæ tecta refulgent
 Pulchrius aut rutilo flagrat magis igne pyropus?
 An non & ueterum doctissima turba sophorum
 Hoc opus unanimi sensu probat? ecce tyrannum
 Ridet Anaxarchus: contemnit Zeno Nearchum:
 Hi genium fraudant epulis: hi ueste carentes
 Caucasas superant inuicta mente pruinas.
 Ille etiam Assyrius genitor quæ dona Tonanti
 Immolat? & quantis studium non abnegat ausis?
 Atq; alius cæli, tempestatumq; ruina
 Pressus, & infando percussus membra dolore
 Exuperat patiente animo: si quæ dedit (inquit)

Abstulit

Abstulit hæc rursus cœli sator: id mihi demum
Dulce rear: summiq; Deo tribuantur honores.
Vtq; bona ipsius prædiuite munere cepi
Sic uitæ intrepidus patiar mala: talia sancto
Pectore dicta dabat, mentemq; ferebat olympo.
Quid referam? Quanto deuoti pectoris igni
Qui primus fuso testatus sanguine Christum est.
Infestos contra lapides stetit: hostibus ille
Cœlorum ignoscit cupidus, ueniamq; precatur.
Quid? quæ sanctorum longo agmine turba uirorum
Nunc homini audaces conflagere demonas arcet,
Affectusq; domat uarios, mentemq; rebellem
Comprimit & rursus studijs incendit honestis:
Nunc eadem ambrosiam cupiens & celsa laborum
Præmia, nec ferrum, aut ignes, aut uerbera sentit.
Hæc me causa docet studio flagrante relictis
Illecebris diuina sequi: stat numine Christi
Insidias fregisse tuas: stat nullius unq;
Iraisci culpa, scelerumue reposcere pœnas.
Haud aliter mundi lachrymas, uitæq; profundos
Solabor gemitus: nec me constantia uictam
Arguerit: Quid enim uirtus deserta iuuabit?
Nonsecus ac portum quæ uix tenet æquore nauis
Quam si non ualido fundauerit anchora morsu

Flamine

Flamine mox subito excutitur, rursusq; procellis
 Tunditur, & trepidis titubat sententia nautis.
 Vtlerius ne certa odijs: patientia nusq;
 Victa manus dederit: quin tu (mibi crede.) faceffe hic
 Ad Strophadum littus, Harpyiarumq; cohortem:
 Philtra tibi placeant, Aeaeaq; limina Circes:
 Laudis opus concede alijs, mentemq; uirilem:
 Haud bene conueniunt animis haec tecta prophanis.
 Talia dicentem iandudum accensa tuetur
 Inuidia intorquens oculos, euanuit omnis
 Ornatus, regumq; decus, tum pallida rursus
 Succedit macies, monstrumq; apparuit ingens:
 Aestuat, & risu dentes nudauit amaro.
 Tum quassans baculum: haec effudit pectore dicta
 En ego quam tumidis certas illudere dictis:
 Quando quidem studio uitam stat ducere eodem,
 Nec bene conueniunt animis haec tecta profanis.
 Respice ad haec: tibi nempe crucem, tibi mille rependam
 Vulnera: iam laxis Cocyti impune latebris.
 In te sic meritam stridentia tartara ab imo
 Coniurata ruent: poenas dabis improba tandem,
 Infernumq; Chaos, maiestatemq; tremendam
 Ne quicq; uitare uoles: me uera locutam
 Dices, & nostro disces obstare furori.

Illa sub hæc ne quicquid urges, nec lucis egentem
 Foeda minis, odijque agitas: cõtempsumus ista:
 Pro Christo mihi dulce mori: Quid iniqua furenti
 Voce tonas? tu uicta cades, tu nostra relinques
 Limina: num coelum contra te stare putabis?
 Haud tibi uirtutem faxo expugnare potestas.
 Protinus hinc fuscis mœstissima tollitur alis
 Inuidia immani fremitu: quam tristia circum
 Agmina curarum, cõsternatiq; dolores,
 Et noxæ ultrices, macies infanda, pauorq;
 Et furor, & longo sequitur uindicta flagello:
 Pone subit pallor, & desperatio rerum,
 Et uelata caput mœsto nox anxia uultu:
 Hic questus, gemitusq; graues, rigidaq; catbenæ
 Verbera cruda sonant, nec non examine denso
 Obscenæ glomerantur aues, diræq; uolucres
 Nocturnæq; striges dominam comitantur euntem.
 Quæ uolat hæc tetro large stillante ueneno
 Pollutos uideas fontes, pollutaq; cœli
 Sidera: percusso radianti lumine Titan
 In latus obliquo torsit temone iugales:
 Intereunt segetes: naturæ gratia passim
 Deperit, atq; omni surgit sitis aspera campo.
 Axe sub hyberno gelidam cõsurgit ad Arcton

Insula: Quam late Oceanus borealibus undis
 Abluit insanos uoluens ad littora fluctus.
 Iuuenam dicunt: hic sylua horrentibus umbris,
 Auias, sole carens, coecis damnata latebris
 Luxuriat late: medio specus æstuat atrum,
 Et rupta ad manes imos acheronte uorago
 Infernas aperit fauces, sedesq; profundas,
 Et lucem tenebris, coelumq; infamat hiatus:
 Hinc exaudiri gemitus mirabile dictu,
 Verberaq; & stridor ferri, tractæq; cathenæ:
 Hinc etiam ad superos si uera est fama: silentium
 Luce palam inuoluens picea caligine fumum
 Pallida turba ruit: fugiunt armenta, feraq; &
 Et retro exanimis festinauere coloni:
 Pastores trepido cursu pecuaria relinquunt.
 Huc se se infœlix coetu comitata sinistro
 Inuidia infernas obtestatura phalanges
 Coniecit: postq; tetigit celsa hostia ditis.
 Immanem attollit gemitum. Quo tartara & imi
 Cocyti tremuere amnes, commotus & ipse
 Portitor, & stygio nutauit littore Cymbas:
 Atq; herebi obscenæ suspirauere cohortes.
 Accurrunt, dominamq; adeunt: quæ causa malorum
 Exquirunt trepidi: nec enim temere omine tanto

Aduenisse putant: folio Rex ipse profundo
 Audijt, & sceptrum, maiestatemq; perosus
 Obuius immani subito prorumpit ab antro
 Quid nouus iste sibi aduentus soror? haud mea certe
 Hac facie (memini.) tu regna intrare solebas:
 Sed palma uiridi gaudens, sed amicta trophæis:
 Cum tibi iam totis plausus resonabat auernis,
 Atq; tibi nostri merito cessere iugales.
 Quid laceram aspicio? Quo' nostra potentia cessit?
 Quæ causa indignos foedauit puluereq; crines?
 Illa sub hæc Fuimus, fuimus, modo cuncta recessit
 Gloria: si nostris audet certare puella
 Viribus, & teneræ lugemus uirginis astu.
 Nil tua de nobis posthac dulcissima frater
 Sceptra, nec infernæ possunt sperare phalanges.
 Haætenus orbe quidem eualui: nunc nostra potestas
 Frangitur, hæc etiam pestis descendet ad ima
 Tartara: quid primum queso illuisse parentem
 Profuit? en meritis coelum patet: & tua frater
 Vota cadunt: neglecto herebo cælestia uulgo
 Mortales optant, & sidera summa capessunt,
 Tristiaq; æthereis compensant fata coronis.
 Heu baculum nostri foæna incrementa doloris?
 (Proiecit baculum.) quæ nunc satis ima dehiscat

Terra mihi: ut liceat tantos finire dolores.
 Quin age & ipse grauem gemmis depone coronam:
 Projice sceptram manu: Quando te maxime regum
 Foemineæ exuperant uires: nempe una duobus
 Insidet: amborum premit hæc iniuria sensus.
 Aut tu si merui: si cum delapsus ab alto
 Aethere. tartarea s̄q; domos, ac regna petisti
 Hærebam comes ipsa tibi: si deniq; regni
 Cura manet, decorisq; tui miserere cadentis
 Nec lachrymas contemne meas: da uirginis oro
 Quæ nunc pro Christo patiens succumbere nescit
 Vlcisci audaces animos: coniuret in unam
 Eumenidum furibunda manus: quam nulla uoluptas
 Vincere, non omnes possunt auertere fraudes:
 Impellant ueri gemitus parere coactam.
 Quod satis exemplo pro libertate meorum:
 Ne nostra heu penitus uanescat in orbe potestas.
 Dixerat, & genua amplectens superante dolore
 Saucia prociديو spectabat corpore terram.
 Infremuit Pluto horrendum, dextraq; sororem
 Alleuat, & toruo compellat Alastora uultu
 (Charus hic ante alios, fidusq; ad limina custos.)
 Vade age & Eumenidum perfer mea dicta cohorti
 Tecla petant celeri cursu: patientia nostri

Quæ

Quæ nimium secura tenet: Quibus irrita uotã
 Mente fouet: pœnasq; omnes, & acerba nocentum
 Supplicia inuiso raptim de corpore sumant.
 Obijciant tetros oculos, flammãsq; sub ora
 Lactent, & diris terroribus usq; fatigent:
 Dum nostri meminisse optet, sic dixerat ille
 Haud mora terrificus præcepta facescit Alastor
 Imperio loetus: uolat atri turbinis instar:
 Cocytumq; petit: lachrymarum in ualle sedebant
 Tartaræ pestes: sic illam nomine dicunt,
 Cæruleosq; imo pascebant gurgite crines.
 Illum prospicuo delapsum uertice saxi,
 Atq; impacato lustrantem lumine campos,
 A lecto ante alias sensitq; & in horruit hydros:
 Tum grauius geminas complosit motibus alas,
 Terribiliq; suas hortata est uoce sorores:
 Coniuga luctifico sonuerunt numina plausu,
 Torua Megera furit, horrendumq; intonat ore.
 Tisiphones densi lambebant ora Cerastræ
 Illicet effuso properantes sanguine pasci.
 Haud aliter tecto, nidiq; loquacibus escam
 Sedula cum referens propius uolitauit arundo
 Latitia trepidant nati, & contingere certant
 Extantes, matremq; alis, tenerisq; salutant

Vocibus, atq; auidi morsu luduntur inani.
 Nuncius inuadit: Regnator maximus orci
 O decus, & stygiæ sedis spes una sorores
 Ipse hæc ferre iubet: superas properate sub auras
 Inuisas intrate domos: patientia nostri
 Quæ nimum secura tenet: quibus irrita uota
 Mente fouet, poenasq; omnes, & acerbano centum
 Supplicia: unius de corpore sumite raptim:
 Obijcite infestos oculos, tædasq; sub ora
 Versate: insanis terroribus addite crimen:
 Dum nostri meminisse optet, serieq; malorum
 Edocta inferno discat seruire tyranno.
 Dixerat, atq; illæ tinctas Phlegetonte sonoro
 Corripuere faces, crinemq; rotantibus hydri
 Haud mora prosiluerunt: furor, trepidiq; tumultus
 Ex templo immensi pulsarunt limina Auerni.
 Interea uirgo mater sanctissima Christi
 Terrarum decus, & lapsis spes unica rebus
 Aspicit hæc residens cœli regione serena,
 Tū miserans natum alloquitur: Nate unica mundi
 Et suprema salus, regnator maxime Diuum,
 Rerumq; atq; ingens hominum sator: aspicias ipse
 Quæ furie portenta parent: quibus addere poenam
 Festinent meritis: da pestem euadere tantam

Nunc

Nunc quæso, & clemens propius res aspice nostras:
 Ipsa quidem tali auxilio dignissima uirgo
 Quæ te præ cunctis unum metuitq; colitq;
 Cui natus Genitrix animo charissima nostro
 Nil opus est precibus: feret hæc uia certa salutem.
 Huic ego non modicos uitæ superare dolores
 Aeternum quoniam pia uota sacrauit olympo
 Concessi: nullo gemitu succumbere discit
 Numine quæ nostro se tollit ad æthera uirtus.
 Iamq; triumphato uictrix Acheronte feretur
 Ad cœlum: hic tandem dabitur sine fine laborum
 Digna quies meritis, & præmia nescia fati.
 Dixit: & immensum nutu tremefecit olympum.
 Iamq; extra portas stygias, tenebrosa q; regna
 Ceruleis nexas quatientes anguibus alas
 Nocte satæ ad superos rapiuntur Erynnies atræ:
 Inficiuntq; diem tenebris, cœlumq; ueneno.
 Non sic hyberno cum soluit carcere uentos
 Aeolus, & Lybicis immisit fluctibus Euros
 Incubuit pelago præceps stridore procella,
 Nautas, & miseras passim sparsura carinas.
 Nec sic expressum perrumpit nubila fulmen
 Cum fremitu: uel seua pilam cum machina torquet
 Murmure sic tonat horrifico, celoq; remugit

Immensum, illa cadens aut prærupto obijce montis
 Frangitur, aut solidas nequicq̃ territat arcus.
 Quis tibi tunc uirgo sensus cum limine in ipso
 Obscenas uolucres diro aduentare fragore
 Aspiceres, subitoq̃ domum caligine cæca
 Inuolui, & medijs ignes assurgere tectis.
 Iamq̃ inter fremitus interq̃ horrenda tumentum
 Sibila serpentum, atq̃ alarum uerbera scœua
 Voce tonant furia nunc nunc dabis improba pœnas
 Eumenidum crucianda manu: iam numina nostra
 Et licet inferni contemnere sceptrâ Tyranni.
 Illa autem haud uobis (inquit) quodcumq̃ paratis
 Inuisæ facies palmam feret: & mihi semper
 Mens immota manet: tum cœlo ardentia tollens
 Lumina. Qui terras prospectas æthere ab alto
 Tu nostram Genitor clemens (ait) aspice mentem.
 Illum etiam testor quo te complector amorem.
 Atq̃ adeo non ipsa minas, mortemq̃ pauesco
 Aeterni spe nixa boni: da uincer e pestes:
 Sic tua concedet nobis clementia cœlum.
 Summe opifex nullis decus immortale piorum
 Aequari humanis meritis queat: attamen ipse
 Pro nobis moriens reserasti limina olympi.
 Pro decore hoc mortem non dedignata pacisci,

Et

Et pretio exiguo cœlestem emptura coronam
 En adsum ingentem demum latura triumphum.
 O amor: o bonitas: o gratia summa Tonantis:
 Talia dicentem sæuo clamore repellens
 Inuadit scelerata cohors uallataq; densis
 Anguibus attollitq; faces, tædasq; sub ora
 Fumiferas quatit insultans: simul ora Chelydri
 Sibila gorgoneo nequicq; foeta ueneno
 Vibrabant si forte malis terroribus illam
 Virtutis recto deducere tramite possent.
 Et nunc consertim metuenda luce rubentes
 Intendunt diros oculos: nunc cominus illæ
 Tartareas reserant facies, pallentiaq; ora
 Horrendum ostentant: hæc anguibus: illa flagello
 Personat, hæc grauis obtutu conuitia torquet.
 Ac uelut Aegeo quæ prominet æquore rupem
 Certatim magno pelagi ueniente fragore
 Innumeri adlatrant fluctus: tum spumea circum
 Saxa fremunt, roresq; alte sub sidera iactant:
 Illa manet, pontiq; minas, nimbosq; furentes
 Despicit, & summo non secius hæret olympo
 Haud secus Eumenides patientis uirginis ora
 Tentant, & uarijs nequicq; assultibus urgent:
 Verum ubi non ullis terroribus alma uirago

Frangi-

Frangitur, & uanos contemnit cominus astus
 Mugitum horrendum tollunt quo territa late
 Cōtremuit tellus: fuluam quatit impia taxum
 Tisiphone, atq; omnes artes meditata nocendi
 Pestiferos acuit stridentes crinibus angues,
 Terribilesq; ultrix hortatur uoce sorores.
 Pande mihi æterni genitrix intacta Tonantis
 Quæ tulerit quondam patientia tristia postq;
 Infernam ad superos laxarunt regna cohortem
 Humanis inimica bonis: nam tu quoq; mater
 Heu nati infando quondam percussa dolore
 Innumeros gemitus patienti corde tulisti.
 Continuo teneros direptis uestibus artus
 Funestorum operum artifices, scelerumq; ministræ
 Per sentes, dum osq; trahunt, interq; trabendum
 Insultant, moestasq; replent ululatus auras.
 Purpureo sparsi rorabant sanguine uepres
 Quin etiam infandum candentia corpora flagris
 Impune hoc ausæ lacerant: uix sufficit una
 Vulneribus, diroq; manus certamine sœuit.
 Iam roseus fugit ille decor, maculisq; tumentem
 Occupat informis liuor miserabile uisu:
 Et nitidos foedant plagarum nubila uultus,
 Nec solitum sub fronte iubar: tum spinea texta

Sidereo

Sidereo capiti, & duram impressere coronam
 Vulnificam, infestam: ruptus de vertice toto
 It cruor, & mœstis large rigat imbribus ora.
 Nec rabies saturata malis: sed protinus altæ
 Affixere cruci: clauorumq; icta pependit
 Vulneribus teneros impune extensa per artus.
 O dolor: o etiam furij, stygioq; dolenda
 Plutoni facies: hominum si tristia fata
 Sentire, aut lachrymis ullis mansuescere possent.
 Illa autem in tanto cruciatu nescia uinci,
 Intrepidum seruans illesæ mentis honorem
 Ad cœlum has imo fundebat pectore uoces.
 Christe salus mundi, rerumq; suprema potestas
 Delitiæq; meæ: Quem toto immobilis æuo
 Obseruo, & summo complector saucia amore.
 Tu mihi sola quies, tu foelix causa dolorum
 Semper eris: qua uoce canam tibi maxime grates?
 Qui tanto licet immeritam dignatus honore es.
 Iam pro te subeo grauiora incommoda uitæ,
 Iamq; tuam Rex alme crucem, & foelicia tandem
 Vulnera clauorum gesto: quæ gloria possit
 Aequari, tales referat quis Marte triumphos?
 Vincit amor superum, & cœlorum immensa cupido.
 Pande omnes Phlegethon iras coetusq; nefasti
 Contemptorem

Contemptorem animum poenas traxisse per omnes
 Ne pudeat: si ultra restant tormenta uel ignes
 Huc adhibe: ruptis cocyti impune tenebris
 Socuiat atra cohors, ignescat liuida tabes
 Inuidiæ, totoq; ruant incendia mundo
 Attamen inuicta superabo mente dolores,
 Et uoce in medijs flammis letabor ouanti.
 Christe patris summi summum decus ætheris author
 Tu mihi das animos, tu contempsisse tenebras,
 Ac stygias nescire plagas: te semper adoro,
 Et tua non tenui cura præcepta facesam.
 Talia dicta dabat, mentemq; immota tenebat,
 Atq; oculos supplex summo intendebat olympo.
 Cum subito in tonuit leuum, coeliq; repente
 Discedunt: fugere graui stridore uolucres
 Tartaræ, pauidoq; intrant sua regna uolatu.
 Respirant auræ, caligantesq; recedunt
 Eumenidum tenebræ: tum protinus axe sereno
 Candidus effusa nimbus ueniebat ab æthra.
 Non secus hyberno cum flamine turbidus auster
 Horret, & obscura caligine textit olympum
 Si Eorean celsa laxauerit Aeolus arce,
 Et liquido crassum dimouerit aera flatu
 Nubila uanescent subito coelumq; reducta

Luce nitet, totoq; micat Sol aureus orbe.
 Ipse pater diuum miseratus ab æthere summo
 Effulgens radijs, & maiestate serena
 Affuit, & meritam clemens complectitur arcte,
 Et large ambrosios ipsi aspirauit odores:
 Illicet omnis abijt dolor, & tormenta recedunt:
 Candidior membris redijt uigor: ora refulgent:
 Sancta q; cœlestes euibrant lumina flammæ,
 Ac uera ex illo patuit Dea: Qualia passim
 Numina Christicolæ toto uenerantur in orbe.
 Vt rosa quam folijs dudum inclementia cœli,
 Flaminis & gelidi astrictam uis seua tenebat.
 Cum Zephyri arridens uernantes aura tepores
 Excitat, & mitis se protulit hora diei
 Purpureum florem exinuat, lateq; comarum
 Igne nitet: gratum decus adiectura coronæ.
 Atq; illam tantæ referentem præmia palmæ
 Interea genitor dictis affatur amicis.
 Quem tanto studio uirgo indefessa petisti
 Virgo tuis meritis animo gratissima nostro
 En adsum: capias ut tandem uera laborum
 Præmia: quæ nullo sunt interitura sub æuo
 Spōsa ueni, dilecta ueni: mea regna capesse.
 Hæc ait, & manibus flagrantem murice & auro

Cyclada diuinòs quæ late spirat odores:
 Aptat uirginèis humeris: hic ducta smaragdís
 Crux domini, & tormenta nitèt: quæ plurima quondã
 Pertulit humani generis labefactus amore.
 Extremo intexti uiuunt sub tegmine limbi
 Purpurei narcissi, immortalesq; amarantbi.
 Idem etiam ardentem gemmís auroq; coronam
 Formoso imposuit capiti: quo munere foelix
 Sublimem referens deuictò ex hoste triumphum
 Extemplo conuexa petit stellantis olympi,
 Et nimbo irradians clarum Titana laceffit.
 Plauserunt superi, nec tantis inuidet æther
 Laudibus: ipsa parens non aspernata Tonantis.
 Oscula dilectæ gaudens libauit alumnæ:
 Accepitq; sinu, & complexa est pectore amico.
 Hic requies æterna ipsi, uitæq; perennis
 Gloria, & emeritos compensat sine labores.
 Diua potens, hominum quæ tristia facta repellís,
 Atq; animos dextro deducís ad æthera calle:
 Inuicta, & nulli cedens pietate uirago.
 Tu mihi sis foelix misero, tu rite propinques
 Auxilium, numenq; tuum: da uincere quæso
 Tartareas fraudes, gemitus, uitæq; labores,
 Et scelus inuidiæ, & turbati pectoris æstus:

Atque

Atq; etiam quæcunq; tulit seruator Iesus
Humani generis reparat dum morte salutem
Mente pati, sœuosq; crucis perferre dolores.
Ut cum extrema dies aderit: quæ corporis huius
Ius habet, atq; animos inimico carcere laxat.
Me tua non ullo scœdatum crimine sensus
Virtus, & summo patientia grata Tonanti
Ducat ad æthereos ciues, sedesq; piorum.
Et Christi ostendat faciem, meritisq; beatum
Consortem superum faciat per sæcula cuncta.

❧ F I N I S. ❧

LAMENTATIO DIVAE
Mariae Magdalenaë ad Domini nostri
Iesu Christi sepulchrum. Georgio
Cælio authore.



Postq̄ crudeli sublatus funere Iesus
 Cõditus exciso Gētis de more sepulchro est.
 Infœlix genitrix, sctârũq̄; agmina matrũ,
 Atq̄; soror Marthæ dñi plāgore secute
 Auellinequeunt: tumulum miserabile uisu
 Amplexæ innumeros fundunt ad sidera questus.
 Nox erat, & mœstis in nubibus abdita Phœbe,
 Et ferrugineo liuentia sidera nimbo.
 Signa dabant luctus: perq̄; alta silentia noctis,
 Aethereis per inane plagis, terraq̄; mariq̄;
 Audiri late gemitus: perijsse fatetur.
 Authorem natura suum, rerumq̄; parentem.
 Tunc quæ Bethaniæ percussa reliquerat arcem.
 Scissa genas, laceris multum foedata capillis
 Ad cœlum has imo fundebat pectore uoces.
 Omnipotens Genitor cui paret machina mundi,
 Celsaq̄; conuexi famulantur sidera Olympi.
 Aspicis en natum crudeli morte peremptum,
 Quæq̄; hodie fuerit passus dum sponte salutem

Humani generis reparat: nos ecce sepulchrum
 Prosequimur lachrymīs: sed enim Pater optime saltem
 Hæc liceat deflere palam, gemitusq; profundos
 Laxare ad tumulum: iam non occulta tenebris,
 Sed media sub luce querar: lymphata per urbem
 Deferar, & fletus nostros Iudæa uidebis.
 Tunc aliquis nostrum transfigat uulnere pectus,
 Et miseram properet q̄primum abrumpere uitam.
 Quando aliter nequeo tantum finire dolorem.
 Heu quantum scelus aspicio: latet ille sepulchro
 Conditor humani generis, rerumq; creator?
 Haud ullis populi exequijs, sed paupere pompa
 Conditus, & soeua damnatus uoce suorum?
 Cui tantum licuit de te? Quo crimine passus
 Supplicium? potui dulcis tua damna magister
 Cernere, & in tanto gemitu misera esse superstes?
 Aethereis cuius monitis, suauiq; loquela
 Quondam & uiuentis recreabar numine sancto?
 Nunc deserta diu, atq; atro squallore, situq;
 Obruta languentem matrem sequar: hei mihi quantum
 Mutatus fueras nuper cum uoce potenti
 Ipse meum fratrem dignatus reddere uitæ,
 Illius & manes excisti à sede profunda
 Nunc ubi nam decor excellens? ubi dulcia Iesu

Lumina? quæ nuper placabant æquora, & altos
 Loenibant gemitus: quæ ceu duo sidera cœlo
 Fulgebant luce insolita mortalibus ægris.
 Quò sacrum eloquium, Quò uox diuina recessit?
 Et celsæ frontis species, & spiritus oris,
 Ambrosiæq; in terga comæ? iam prohdolor atro
 Funere conduntur: totum latet undiq; corpus
 Vulneribus: squalent concreti sanguine crines:
 Et decoris tanti uestigia nulla supersunt.
 Crudeles dextræ nunq; crudelius ausæ
 Vos ne manus illas quæ uos fecere pedesque
 Qui mare, loetitia complebant, aruaq; & urbes
 Loedere tentastis? clauisq; immane cruentis
 Figere, uos scœnam capiti impressisse coronam
 Aggressi? hæc pietas, hæc spes, & uota parentum?
 O dirum ingenium populi, studiumq; prophanæ
 Gentis, & aduersum superis genus: hoccine demum
 Pristina pensasti factis? sic tempore tali
 Iam pridem offensum properas loenire tonantem?
 Hæc tua magna fides? his te Deus ille reseruat
 Tèporibus? Quid uana queror? Quid uicta supremis
 Questibus effundo uoces ad nubila inanes?
 Ergo ego cum Dominus rerum sit funere raptus?
 Ipsa superstes ero? tumulo iacet ille sepultus?

Ipsa moror lucem? non sic, sed quando negatum est.
 Ante diem loeti properatum accersere tempus.
 Aeternos animo patiar moerente dolores,
 Et lamenta quibus nec mors crudelior ipsa.
 Tuq; adeo infœlix mater quam funera tanti
 Pignoris attonitam mucrone doloris acerbant
 Impartire pios gemitus, da flumine eodem
 Ad mea perpetuos lachrymarum lumina fontes.
 Haud etenim dubito quantum pia fletibus omnes
 Exuperes matres, quantum dolor iste nefanda
 Supplicia euincat, tormentaq; mortis anhelæ.
 Hos inter planctus iam Lucifer æthere summo
 Pallidus auroram mœsto denunciat astro.

❧ F I N I S. ❧

cij AD

AD L V D O V I C V M I N F A N

tem Principem serenissimum Regis Emanuelis

filium de simulachro uirginis deiparæ ab

eodem in direptione urbis Tunetis

reperito: Georgij Coelij Lu-

sitanicarmē Heroicū.



Vm Cæsar Carolus Libyæ trāsuectus ad

Victor Tunetis celsas irrūpet arces: (oras

Aethereæ nr̄is simulachrū ē marmore fa

Horrēdas acies inter, soeuiq; pcellas (ctū

Martis, & Hespericū uictricia signa repertum est.

Id fuerat defossum olim ne uirginis ora

Barbara Gens Arabum, Maumetis & impia pubes

Cernere, neu diris manibus contingere posset.

Nunc sancta effigies longo post tempore tandem

Dum Christi domitam uolitant uexilla per urbem,

Et Cæsar magnus Libyen excindit: ab imis

Eruta uisceribus terræ se passa uideri est.

Quæ tibi nunc digno referam præconia cantu

Hespericæ Ludouice Plagæ, Phœbiq; cadentis

Lystadumq; insigne decus: tu nanq; ruinas

Consilio postq; ipsa tuo uictoria parta est,

Atque animis, hilarisq; tibi sonat undiq; plausus

Egeris,

Egeris, & faciem Diuæ squallore, situq̃
 Exesam, oppressamq̃ diu, tenebrisq̃ sepultam,
 Tristiaq̃ annosæ testantem damna senectæ
 Restituïs coelo, ac proprium largiris honorem.
 Macle animi non te meritos cum miles in hostes
 Inuectus captam spoliaret funditus urbem.
 Aut aurum, aut nitido saturatæ murice uestes,
 Captiuæq̃ nurus capiunt: ea præmia belli
 Nempe ferant alij: tibi uero gloria Diuum
 Sola placet: tanti merces operosa triumphi
 Hæc erit: o præstans animi decus: ergo repostas
 Per caua tectorum, & latebras, urbisq̃ ruinas
 Dum cupide rimantur opes, animoq̃ furenti
 Teutonicæ, Hispanæq̃ simul, Latiaq̃ phalanges
 Instant per medios grassari cæde penates,
 Pars referunt, cumulantq̃ ingenti littora gazæ
 Dumq̃ alij congesta inbiant, prædaq̃ potitos
 Inuadunt rursus: dum cuncta & sanguine & armis
 Miscentur, fremituq̃ hominum, insanoq̃ tumultu.
 Tu pius interea, & sedato pectore foelix
 Cælum animo Ludouice capis, demersaq̃ signa
 Virginis haud ullas posthac subitura latebras
 Anxius in lucem reuocas: sic deniq̃ Martis
 Dura rudimenta, & pelagi, terræq̃ labores

Solaris, magnosq; exæquas mente triumphos
 Vel Carolo non ipse minor: tibi sidera curæ
 Ac sanctos Christi cultus, Dominæq; deorum
 Afferere, & dignis sacrare in sedibus aras:
 Ast alios uesana fames, & coeca uoluptas
 Præcipitant, suadentq; ignota capessere fata,
 Et nunq; bona uera sequi. Cum Cæsaris olim
 Inclita uenturi memorabunt facta nepotes
 O qualem te fama feret: quantum ibis in ipsa
 Conspicius pompa: Libyci pars magna triumphi
 Accedet Ludouice tibi: tantumq; relinques
 Ipse alios: quantum terras excedit olympus.
 Diuitias referant alij, pictosque tapetas,
 Arcusq; & pharetras, & uersicoloria texta:
 Turcarum exuuias: stipetur nauibus ingens
 Argentum, mercesq; ferant: Quas decolor Indus
 Littus arenosum, & Libyæ deserta peragrans
 Certatim ad claras transuexit Agenoris arces:
 Quasq; dedit uesper: uel quas uicina Canopi
 Flumina miserunt: gelido quas æquore Peuce
 Usq; ab Hyperborea gaudens transmiserat Arcto.
 Cuncta licet magnæ testentur præmia palmæ.
 Tu bello tu maior eris: tibi summa merenti
 Virginis effigies nunc se permisit habendam:

Hac fretus Ludouice animum super æthera tolles,
 Magnanimosq; æquabis auos: non sarcina classi
 Magna quidem sed uera subit: quæ sidera cœli
 Donat, & accedit præsens tutela carinæ.

Alma parens Christi. (nam te mortalia certum est

Aspicere, atq; hominum miserari ex æthere curas.)

Annue supplicibus (si fas est.) Diua precamur

Vocibus: ut quoniam Ludouicus carcere tristi

Ipse tuam edomita faciem Tunetis ab arce

Demersam eripuit, dignosq; sacrauit honores.

Cæsare pro Carolo ductor fortissimus idem

Cum Libycas premeret gentes, & pectore forti

Turcarum Christi pro religione Tyrannum

Pelleret, ac pacem concusso redderet orbi.

Idem Nestoreos degat foeliciter annos:

Aeternumq; tuo protectus numine sancto

Eumenidum funestam aciem, scœuumq; profundi

Contemnat Ducis imperium: da uirgo merenti

Regnaq; Lysiadum uictor terraq; mariq;

Maiorumq; decus, fraternaq; proferat acta.

Vt cum extrema dies aderit cādentior omni

Luce, nec inuidiam metuens petat æthera summum,

Et bona Cœlicolum quæ nulla intercipit ætas.

Tum demum placidos annos, & nescia fati

Tempora pro meritis aget, atq; æternus olympo
 Aspiciet uultus, maiestatemq; Tonantis.

De aqua Argentea ciuitatis Eboræ
 Epigramma eiusdem.



Vis populo tādē ductū iſtaurauit aquarū?
 Fluminis & celſum continuauit iter?
 Sūt hæc Ioānis monumēta inſignia Regis:
 Quē Regū genuit maximus Emanuel.
 Quod nomen lympha? dicta eſt argentea uulgo:
 O quantum hæc ſpecies nomine digna ſuo eſt.
 Quām iuuat externos labris infundere rores:
 Et penitus uitreo mergere in amne ſitim.
 Nunc licet ardentes cancri contemnere ſoles:
 Poculaq; è uiuo ſumere plena lacu.
 Natura in faciem gaudet conuerſa benignam:
 Cum tanto egregium uindice ſurgit opus.
 O uere inuictō foelicia tempora Rege:
 Talia Saturni ſæcla fuiſſe putem.

De eadem.

M Iraris nitido ſublimes aggere ductus,
 Et medio illabi flumina iūua foro

Diuus Ioannes regnator nominis huius

Tertius inuicto pectore fecit opus.

Qui pacem, & regnis decus immortale parauit,

Præside quo uirtus tollit ad astra caput.

Gangaridum Reges qui frenat pectore & armis:

Nimirum optatas ciuibus addit aquas.

Ad Ioannem Regem

inuictissimum.



Vã bene Lysiadũ Rex inuictissime Gētis

Arenti populo fluminis addis opem.

Exuperas Phœbũ proprie dũ cõsulis urbi:

Natura auspicijs uincitur ipsa tuis.

O utinam æterno potiaris neclaris haustu:

Qui longam exhausta pellis ab urbe sitim.

In laudem eiusdem.

Digna suo domino moles sic creuit ad astra:

Inclutus æternum condidit author opus.

De Emanuele Rege.



Elleus iuuenis deuectus flumine Eoo
 Cum tandē intraret classibus Oceanū.
 Ad cœlū tēdēs palmas da Iuppiter (iquit)
 Haud quenq̄s in terris hoc sup̄are decus.
 Cui pater arridens Macedum tu gloria summa:
 Et tuus haud unq̄s est interiturus honos.
 Cum tamen Hesperio Emanuel regnabit in orbe
 Hęc quota Lysiadum portio laudis erit?
 Ille etenim tanto spacio tua signa relinquet.
 Quantum Thessalia dissidet Oceanus.

De equo sibi donato.



Vi modo secessus mirabar & ocia Phœbi.
 Nūc uehor egregio cōspiciendus equo.
 atq̄s aiosus eques decurro p̄ æquora cāpi:
 Meq̄s agilē dicūt ad graue Martis opus.
 Ipse meos certe non spernit adire penates,
 Atq̄s suo domino gratus adhinmit equus.
 O quales radiant per leuia tergora guttæ:
 Quantum nodoso pectore robur inest.
 Cedant solis equi, atque auroræ præuius Aetbon:
 Et Martis bijuges, & Zephyri soboles.

Nempe

Nempe choro Aonidū Martis quoq; grata facultas:
 Armorum imprimis Pallas & ipsa Dea est.
 Atq; etiam fama est Tyrteum nobile bellum
 Quondam gessisse pro Lacedemonijs.
 Dum uehar hoc densas Maurorum inuadere turmas,
 Atq; ausim Atlantis culmina longa sequi.

De piscatore naufragio merso.



Piscator pelagi certat dum euadere fluctus.
 Naufragus ad Duriū mergitur Oceano.
 Anxia quē mater q̄rebat ad equoris undā
 Traderet ut mœsto corpus inane rogo.
 Iamq; dies octo frustra consumpserat illa
 Lustrans attonito littora quæq; gradu.
 Cum subito ante oculos imo de fluminis aluco
 Extitit in summa triste cadauer aqua.
 Illa hærens gelidos amplexu sustinet artus
 Ne rursum infestis eripiantur aquis.
 Atq; rogo misera imponens heu funera dixit
 Infausta & flammis debita & Oceano.

Ad Nicolaum Clenardum
 Ode monoclos

Quid



Vid Glenarde meis auribus exhibes
 Duros admonitus ceu male pertinax
 Arcani studij militiam sacram
 Contemnam, duplici non mihi pectora

Sensu: nec studium quod semel in stiti

Ignauus ninium transfuga deseram.

Iandudum placide me tua dextera

Reptantem facili tramite præuia

Ad Gentis Solymæ uerba recondita

Deducit cupidum: tu pius & sacro

Ingens eloquio sensibus abdita

Illustras niueo lumine pectoris:

Dum tradis refugam plus uice simplici

Linguam, nec pateris me licet ardua

Ingressum Aonidum iam pede libero

Ignorare sacri mystica muneris:

Asserti populi quæ Pater optimus

Dilectus meritis æthereo patri

E summo Arabiæ uerticis hauserat.

Tu mentem exiguam, tu ingenium uetus

Formas: tu tenebras excutis inuias:

Cursumque ancipitem, atq; aspera leniens

In stillas animo perpetuum decus.

Si præceps ualidi flammis impetus

Inuitum rapuit limine de sacro:
 Si cogit miserum scœna necessitas,
 Exoptata animi coepta remittere.
 At non perpetuo dura negocia
 Tractabo inualidus, nec timeam sacros
 Sirenum scopulos: iamque libens tuis
 Me reddam monitis: spes uolat ocyus.
 Alas auspicio concutiens tuo,
 Et campos aperit iam solymos mihi.
 O quis me Libani scandere uerticem
 Quâ cedrus nitidas explicuit comas,
 Quis ualles roseo lumine candidas
 Perfusas liquidis balsami odoribus.
 Quâ uatum choreæ numine saucios
 Intendunt numeros: cernere det mihi.
 Quis iam Callirhoes flumen amabile
 Haurire, atq; auidâ condere sensibus
 Permittat: rapido protinus euehar
 Cursu ad sidercas coelicolum domos:
 Nec molē hanc metuã corporis horridã:
 Quæ sensus hebetat: quæq; grauat diu
 Inceptis animum deterioribus.
 Mens loeta, & uolucris uel Zephyro prior
 Ibit ceu spacijs libera olympicis,

Et

Et Diuum accipiet uerba sonantia.
 Ergo sollicitas quaeso procul moras
 Pellamus: nimium iam nimium uagum
 Tironem reuoca: qui tibi nomina
 Haud moestus dederat: non ego te duce
 Voces e medio pectore redditas,
 Non quicquid Solymis sollicitate schedis
 Retrorsum legitur: si tua lumina
 Admoris trepido despiciammetu.
 Tu me ceu genitor filiolum solet
 Deduces tenebris: Vela patentius
 Iam soluenda tibi: pignore scilicet
 Tanto noster amor scandet ad aethera.

❧ F I N I S. ❧

REVERENDISSIMO DO-
 mino & excellentissimo Principi. Alfonso.
 S. R. E. tituli sanctorum Ioānis &
 Pauli Cardinali ac Portugalliæ
 Infanti Georgius Cœlius
 S. P. D.



Isi mihi incredibilis tua humanitas summa
 cū aūthoritate cōiūcta animū dedisset haud
 equidē mihi arrogarē ut clarissimā Lusita-
 norum aduersus Turcas uictoriā carmine
 Heroico celebrarē. Nec enim ut Lyricus Poeta ceci-
 nit quiuis horrentia pilis

Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos
 Aut labentis equo describat uulnera Parthi.

Quem uero mediocrium poetarū ab huiusmodi lau-
 datione non deterreat? illa septingentorum Lusitano-
 rum militum. Qui ad arcis præsidium. quæ in ciuitate
 Dio est relicti fuerant. pertinax & inuicta in acerrimo
 hoste propulsando. animi fortitudo. Quæ ipsa ut
 militum illorum Spartanorum. Qui ad Thermopylas
 depugnarunt. uirtute nequaquā inferior. ita dignissima
 profecto censenda est. excellenti quadam, ac propemo-
 dum diuina Vatis epici tuba. Quare si quicquam in hoc
 genere

genere præstitisse uisus fuero id tuæ Princeps humanis-
sime erga me benignitati acceperum referri debet: sin me
tanto argumento neutiquam parem fuisse dicent. attamen
fore non despero. Ut nostræ uoluntati, atque studio
uenia tribuatur. Accedit quod ex tempore ferme car-
mina hæc effudi uerius quam composui. At inquiet aliquis.
multi cum laude ex tempore carmina dixerunt. sed ego
nec Antipater Sidonius, nec Statius, nec Lucanus sum.
Atque utinam unus ex his forem. ut Lusitanorum res
clarissimas terrarum marique gestas pari impetu possem ce-
lebrare. Vale.

VICTORIA LUSITANO-
rum aduersus Turcas per Georgium
Cœlium Lusitanum.



Ostis perpetuus Christi, lateque Tyrannus
Europæ atque Asiæ, Turcarum summa potestas
In latium & Gægen meditatatur bella, nec illi
Aut Tybris terrere potest, aut Medus
Hic Babylona premit, illic Ægætia uastat (Hydaspes.
Flumina Danubij: rursus in deserta scytharum
Auiæ latiferos immanis dirigit arcus:
Peruenit ad gelidas ingens exercitus Arctos.

Parte alia extremos bellum molitur ad Indos
 Classe potēs, rubrūq; ferox mare nauibus implet
 Vt Lusitanum toto depellat Eoo
 Imperium. Centum nuper soluere triremes
 Littore Erytrheo, & Persis post terga relictis
 Indi foelicem tenuerunt fluminis oram.
 Ductor erat Pharijsueniēs Solyman⁹ ab oris
 Marte potēs. latā dederat cui nēpe regendam
 Turcarū princeps. Aegyptū, & flumina Nili:
 Sub quo sc̄ua manus iuuenum: Quis ordine prisco
 Hellespontiaci custodia credita Regis.
 Cambaici regione sinus. Quā littore flexus
 Incipit. excelsi fundata crepidine saxi.
 Vrbs prædiues opum dominatur in æquora late:
 Gangaridē celebri quam Dium nomine dicunt.
 Hanc pridem imperio Regis Ioannis & armis
 Lusitana cohors inuicta classe subegit.
 Huc recto aduehitur cursu Maumetica pubes:
 Pontibus inuadunt terram, totoq; frementes
 Agmine cinxerunt arcem quæ proxima ponto
 Imminet, & muros tormentis undiq; pulsant
 Igniuomis, sonitu coelum, mare, terra tremiscunt.
 Addunt se Turcis simul, & socia agmina iungunt
 Quæ tetrum infandi nomen Maumetis adorant

*Indorum innumerae Guzeratumq; cateruae.
 Non secus æquoreo præruptam littore rupem
 Innumeri quatiunt fluctus agitantibus Euris:
 Illa manet, pelagiq; minas: scœuasq; procellas
 Despicit, atq; æstu nequicq; tunditur atro.
 Nec non Christicolæ magno molimine contra
 Aggere murorum nituntur, telaq; fundunt
 Crebra niuis ritu: consurgit ad æthera clamor:
 Inq; uicem seruant muros, noctesq; diesq;
 Infraçti aduersum certant depellere Martem:
 Et mortem pulchra cupiunt pro laude pacisci.
 Hi statione manent: hi portas aggere uallant:
 Ast alij densos protelant eminus hostes
 Glandibus ignitis, Maumetanasq; triremes
 Aenea terrifico longe pila uerberat ictu.
 Illi lapsa suo defendunt pectore, & ijdem
 Instaurant, partim penetrant sub uiscera terræ,
 Hostiles referantq; specus: pro nomine Christi,
 Proq; suo Rege, & patria, propriaq; salute
 Lusitana cohors magna decertat opum ui.
 Ceu quondam Ionio iactatam gurgite puppim
 Solliciti nauæ turbantibus undiq; uentis:
 Fuctibus auertunt, atq; omni parte laborant:
 Hi summo in malo pendent: hi uela carinæ*

Obuertunt,

Obuertunt, pars ima regit, clauoq̄ moratur.

Interea celsis qua' propugnacula muris

Ad Boream spectant: seu impete tormentorum

Mœnia quassabant Turcæ: mox agmine facto

Ad motis scalis festinant scandere raptim.

Obstant Lysiadæ fortes, uastosq̄ molares

Deturbant, telis urgent, atq̄ omnibus armis:

Feruentesq̄ atris iaciunt super ignibus ollas.

Sternitur ad muros densissima turba, sed illi

Ingenti freti numero, coeci q̄ furore

Ardua fallaci subeunt ad mœnia uoto

Ac ueluti horrentem ualidi cum forte molossi

Deprendere iugis ursum nunc cominus instant

Præcipites, auidiq̄ ruunt: nunc emimus ore

Adlatrant pauido: stragem fera bellua late

Aedidit: at illi contra non secius urgent:

Haud aliter Christi famulos, arcemq̄ lacessunt

Indorumq̄ Arabumq̄ acies, Phariæq̄ cateruæ,

Immanesq̄ animis Turcæ, dextramq̄ potentem

Interea, & uires contra experiuntur acerbas.

Quid memorem quam multa uiri fortissima facta

Lysiadæ ædebant, quantis decora alta triumphis

Æqua merebantur, non si mihi pectora centum,

Cætum ora, & totidem linguæ, uocesq̄ fuissent.

Tantarum possem seriem describere laudum.
 Tunc etiam ætherea descendens arce Iacobus
 Armipotens belli præses, lateq; patentis
 Hesperiaæ custos pro libertate suorum
 Astitit armatus ferro: nitet aurea late
 Insignis galeæ facies, cristæq; comantes
 Sanguineo terrore micant: terrebat & ipsa
 Umbonis species, & inexorabilis hasta.
 Illum præcipiti populantem Marte cateruas
 Et nostræ pariter, Maumetanæq; phalanges
 Attonitæ uidere palam: postq; hostis ab arce
 Terga dabat: dextra Diuumq; hominumq; repulsus
 Sustulit ad coelum sese, terrasq; reliquit,
 Et rutilans procul in tenues euauit auras.
 Tempore forte illo defessi membra labore
 Icarus atq; Arabus geniti Gangetide matre,
 Patre Syro: haud longe certamine Martis anbeli
 Carpebant somnos: Quos intra moenia fidos
 Lysiade experti studijsq; & amore fouebant:
 Atq; his in somnis longe pulcherrima uirgo
 Ambobus tales uisa est expromere uoces.
 Surgite, uos inquam: quæ nam hæc ignauia tali
 Tempore marcenti concludere lumina somno:
 Surgite: uersantur summo in discrimine rerum:

Christicolas

Christicolas augete meos: sic uirgo locuta est:
 Illi autem hæc contra: si tanto cominus hosti
 Par esset numerus: si spes foret ulla salutis:
 O Deanos alacri pugnantes mente uideres:
 Sed trahimur fati paucos etenim inq̄ paratos
 Hellepontiaci classis numerosa Tyranni
 Oppressit: superat quoniam fortuna sequamur:
 Sic saltem nostri uictor miserebitur hostis.
 Illa sub hæc nostram nequicq̄ Aegyptius arcem
 Oppugnat: summi genitrix ego quippe Tonantis
 Lysiadum foueo res, & pia bella secundo:
 Excubias superum Turcæ pro moenibus ipsis
 Nocturnosq̄ ignes spectarunt aggere dudum
 Castrorum, & magni timuerunt nūminis iram.
 Quare agite, & læti uosmet sociate cohorti
 Occidua, pulsoq̄ metu sperate secunda.
 Illis rupta quies, excussa q̄ lumina somno,
 Consurgunt, celeresq̄ ruunt, se q̄ addere certant
 Christicolis, quæruntq̄ animis ardentibus hostem.
 Vt uenere uident hostes iam Marte repulso
 Cæptorum immemores, uasta cum cæde suorum
 Terga dare, & notis trepidos se condere castris.
 Exponunt uisum, simul & te maxime Christe
 Accipiunt animis lustrati flumine sancto.

*Indorum Oceano littus iacet insula contra
 Goa potens armis & equis: subiecta potentum
 Lysiadum imperio: Quorum sub nomine nunc est
 Eoi pelagi late regina decusq̄.
 Hinc bello insignis Garsias nuper ad Indos
 Ioannis Regis ueniens præfectus in altum
 Vela dare ingenti comitatus classe parabat.
 Auxilium obsecris, Dio laturus & arci.
 Atq̄ idem interea bis denas rite carinas
 Anxius ad Diuum præmittit ut æquore sese
 Exhibeant longe Turcis, furiasq̄ morentur:
 Ne magis atq̄ magis clausi obsidione premantur.
 Viderat e specula uenientes ordine naues
 Vir Pharius, gelidusq̄ coit formidine sanguis,
 Exanimisq̄ in castra redit: fugite ocyus inquit
 O socij, propere date uela, impellite remos:
 Conditur innumeris totum sub nauibus æquor,
 Lysiadum classes adsunt: Quot tempore nullo
 Aequore Phryxæo pariter soluere carinæ.
 Soluite præcipientes: si nos ex arce frementes
 Paucorum uis socua fugat: num uiribus omnis
 Possumus Hesperiaæ fracti concurrere bello?
 Extemplo turbati animi, totisq̄ tumultus
 Exoritur castris ueluti cum socua repente*

Incubuit

Incubuit pelago stridens aquilone procella:
 Nauticus exoritur clamor si forte carinam
 Iratis trepidam possint subducere uentis.
 Haud aliter Turcæ trepidant (pauor incubat ingens)
 Gangaridumq; Arabumq; acies, Niliq; cateruæ,
 Vox una auditur castris fuga: littora cursu
 Prona petunt pauido, & latebras, montesq; requirunt
 Palantes, optantq; caua se condere terra.
 Interea occiduis Titan se merferat undis,
 Et nox ingenti tellurem amplectitur umbra:
 Deseruere metu Pharetras, tentoria, uestem,
 Armaq; Ithyreosq; arcus, Lyciasq; sagittas,
 Et tormenta graui sonitu Quatientia muros:
 Queis nunc Lysiade spolijs lætantur opimis.
 Hi nando ad naues properant, hi fluctibus errant
 Amentes, partim curuas prensare carinas
 Instant, & positos inuadunt agmine pontes,
 Ast alij remis pendent aut funibus hærent:
 Inq; uicem obruitur, collisaq; turba laborat:
 Nec mora nec requies; cunctis tremor occupat artus,
 Hesperiasq; putat iam cedere terga phalanges.
 Vix dum conscendere rates cum protinus omnes
 Incidunt funes: remis uelisque relata
 Classis Erythrei contendit ad hostia ponti:

Nec coelum dubium, tempestatesq; ueretur.
 Non Deus Arcadię dictus pastoribus olim
 Constrauit terrore animos: sed maximus orbis
 Arbiter æterna qui nos á morte redemit
 Christicolis fauet ille suis, lachrymasq; piorum
 Respicit, & castis indulget lumina uotis.
 Haud aliter Ionathas Solymorum gloria Gentis
 Armigero postq; socio comitatus ab uno
 Culmina prærupti reptauit ad ardua saxi
 Ipse Palestinas acies, tremefactaq; totis
 Agmina percussit castris, ualidisq; lacertis
 Impulit in præceps: tum pulchro puluere belli
 Respersus magni repetit tentoria patris
 Aeternum innumero referens ex hoste triumphum.
 Semiuir o' classis ductor Solymane, patentis
 Dedecus Aegypti. Quam tu moderaris habenis
 Quæ nam te furia rapuere, quis impulit ardor?
 Lysidas contra ut uelles contendere bello.
 Tu nostras uesane manus marcere putasti
 Desidia? Gentem ne Tagi, Christine cohortem
 Barbara lasciui uexabit turba Canopi?
 Falleris: ad laudem geniti grauiora pericla
 Intrepide didicere pati: nos fortia Mauris
 Regna Tagi expulsis colimus, nos abdita late
Acthiopum

Aethiopum premimus, nos debellata ueretur
 Africa, & innumeri uestri Maumetis alumni.
 Horrendumq; armis nos exuperamus Atlanta.
 Quæ manus Oceanum scrutata, ignotaq; mundi
 Sidera, quæ soluens extremo è littore Vlyssi.
 Cardinis Eoi superauit in æquore metas
 Littoraq; & late populos, regesq; subegit.
 Ductori Eunuchò cedit, Phariæq; cohorti?
 Sic decus immensum tantis sudoribus emptum
 Excidet? & retro iam gloria parta feretur?
 Sic Gentis noti mores tibi, & inclyta bello
 Pectora Lysiadum? Cum te stultissime paucae
 Terruerint naues. Quid? si procul omne uideres
 Robur, & innumeris allabi classibus æquor?
 Atqui nostra phalanx uentis, superisq; secundis
 Freta tibi instabit, nec te uis ulla uolentem
 Eripiet, poenasq; dabis pro crimine tanto.

FINIS.

GEORGII COELII.

GEORGII COELII ELE-
gia in obitū excellentissimi Principis *Alfonsi*
S. R. E. Tituli sanctorum *Ioannis &*
Pauli Cardinalis, ac Portu-
galliae Infantis.



*D*eflebam *Alfonsi* fatū quē funere acerbo
Tam iuuenē nobis abstulit atra dies.
Voluebāq; simul gemitus, urbisq; querelas
Quæ tāti officio Præsulis orba iacet.
Regis germani lachrymas, fratrumq; piorum,
Et mœstas magni funeris exequias.
Talia cum fletu socii monumenta doloris
Ponebam humentes heu miser ante oculos.
Cum mœrore graui, diroq; exercita luctu
Oppressit dulcis lumina nostra quies.
Hic subito Alfonsus coram pulcherrimus ipse
In somnis ægro uisus adesse mihi.
Tempora cardineo fulgent radiata galero;
Cardineo longe syrmate uerrit humum.
In dextra baculus gemmis distinctus & auro
Enitet: ipse autem fragrat odore nouo.
Tunc ego lætitia trepidans petere oscula dextræ,
Et tales uoces fundere uisus eram.

Gloria

Gloria Lysiadum salve sanctissime Præsul:
 Sic utinam uenias tempus in omne tuis.
 Nuper enim exanguem comitatus adusq; sepulchrum
 Quot pro te lachrymas ore gemente dedi.
 Tempore quo populi resonabat planctibus æther,
 Atq; urbe in tota nil nisi fletus erat.
 Ille sub hæc lachrymis iam non opus: æthere nanq;
 Est mihi cum sanctis uita beata choris.
 Hoc mihi sancta fides peperit, mentisq; benignæ
 Gratia, & in mortis tempore summus amor.
 Summus amor Christi: qui me super ardua uexit
 Sidera, cœlicolis & dedit esse parem.
 Nunc uiuo æternum: nanq; atri funeris instar
 Vita hominum, & meritis præmia digna fero.
 Attamen officio fratrum lachrymisq; meorum,
 Et tibi Gens multum debeo magna Tagi.
 Nam mea cum tristis tabes consumeret ossa
 Et premeret scœuus uiscera nostra dolor
 Vos pro me precibus summum exorare Tonantem
 Adnixi ut uitam redderet ille mihi.
 Sed postq; extremum mihi lumina fessa natabant:
 Atq; aderat tenebris mors adoperta caput
 Vos animam hanc flentes optastis pectore ab imo
 Scandere ad æternas sidereasq; domos.

Idem etiam ad tumuli pro me funebria iusta
 Fudistis gratas terq̄ quaterq̄ preces.
 His ego pro meritis patriæ tutela domusq̄
 Instabo precibus iugiter ante Deum.
 Fratribus ut magnis donet foelicia cuncta,
 Crescat & immensum gloria Lysiadum.
 Dixit, & in tenues extemplo euauit auras:
 Et me deseruit protinus ille sopor.
 Tunc ego lætitia lachrymis sine more profusis
 Suspiciens coelum talia uerba dedi.
 Diue Alfonse decus patriæ, Phœbiq̄ cadentis
 Gloria: Quo gaudent inclyta regna tagi
 Seu te pro magnis meritis uia lactea coeli,
 Seu Phœbi ardentis orbita celsa tenet
 Seu magis astrifera placuerunt arce triones,
 Nesciaq̄ obscuri sidera clara obitus.
 Quando quidem æterni patuit tibi limen olympi,
 Astraq̄ uirtuti peruia facta tuæ.
 Annue supplicibus uotis te sancte precamur
 Et nostras liquido suscipe ab axe preces.
 Si me depressum fato dum uita manebat
 Fouisti auxilio, muneribusq̄ datis.
 Carmina si quondam necnon mea scripta probasti,
 Dulce decus Musæ præsidiumq̄ meæ.

Sis foelix, noſtramq; domum, tenueſq; penates,
 Meq; tibi addictum tempus in omne iuua.
 Quippe tuus dicar dum ſpiritus hos reget artus:
 Atq; mihi aeterno tempore numen eris.

CONQUESTIO VIRGINIS
 Deipare cū Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus de
 cruce deſiſitū eſt. Georgio Caelio authore.



Vnc Arimathæus, necnō Nicodemus acerbo
 Cū gemitu & ſparſi lachrymis manūtibus
 De cruce & ponūt corp⁹ miſerabile Ieſu. (ora
 Sollicitis ulnis inſoeliciſſima mater
 Excipit exangues artus, complexaq; multum
 Hæret inexpletum: nunc largo uulnera fletu,
 Collapſumq; caput ſpargit, liuentiaq; ora:
 Nunc genibus flexis immenſum numen adorat
 Quod nunq; ſancto diſcedit corpore, & imis
 Oſcula deſigit plantis: natumq; Deumq;
 Cogitat, inq; uicem lachrymis reuerentia certat.
 Tandem hos lugubri rumpebat pectore queſtus:
 Nate ingens matris decus & dolor: has tibi demum
 Gens tua cœlorum domino, terræq; parenti
 Perſoluit grates: huc ſummo elapſus olympo

Dum

GEORGII COELII.

Dum clemens hominum pergis reparare salutem
 Pro tantis meritis tam tristia fata reportas?
 Expectate diu, patribus, populoq; tuorum?
 Quis tam crudeli foedauit uerbere corpus?
 Quis furor heu nitidas plantas transfixit, & istas
 Nate manus, spinisq; caput terebrauit acutis,
 Et latus indignum ferro perfodit iniquo?
 Vix misera agnosco speciem: manus atra decorem
 Eripuit, perimitq; notas iniuria præceps.
 Ergo Deum oppressit grauis exitus: & tibi tantum
 Mors licuit? Iudæa nocens post crimina mille
 Hoc ausa in dominum? me me tua uulnera nate
 Transadigunt: me clauis urgent, me spinea texta
 Configunt: tantusq; dolor stat pectore matris.
 Quid tanto in luctu matrem dulcissime Iesu,
 Deseris, & solam infida tellure relinquis?
 At decuit matrem. Quam nuper pignore tanto
 Foelicem merito Solymæ dixere parentes.
 Et tua fata sequi: mors hæc mihi grata fuisset,
 Et tecum poteram foelix comes ire sub umbras.
 Nunc sortem infausam, diræq; incommoda lucis
 Aeterno gemitu, & questu damnata profundo
 Orba diu genitrix patiar: tibi nate superstes
 Dicar? & hæc miseræ restant opprobria matri?

Quid

Quid repetam infœlix? o nostri gaudia partus
 Non ignota choris coelestibus: o mihi semper
 Sollicitæ requies, & spes & gloria matris:
 Et nunc dilecta damnatus in urbe tuorum,
 Pro genere humano patris mandata secutus
 Horrendamq; crucem, tormenta q; dira subisti.
 Ipse tui populi scelere, & liuore nefando
 Traditus indignæ morti purissimus agnus.
 Non talis facies pridem, nec gratia uultus,
 Nec color, aut species: hæc sunt tua lumina Iesu?
 Hoc caput? hi crines umbrantes dulcia colla?
 Quò te nate sequar? Qua te regione requiram?
 Ecce tuo interitu mœrent elementa, polusq;
 Ipsi etiam deflent montes, abruptaq; saxa,
 Iudæi domino morienti illudere certant.
 Tu mea nunc feriens immani uiscera planctu
 Christe potens rerum: deuicto Acheronte reducis
 Fœlices animas: mihi tantum frigida restant
 Oscula, & æterni gemitus: uis sœua doloris
 Iandudum auertit sanctorum oracula Vatum,
 Nec lachrymis finit esse modum: succurrite matres:
 Si dolor hic unq; tetigit præcordia uestra
 Auxilium ferte, & lapsæ miserescite matris.
 Heu nulli similis dolor est meus: & mihi nulla

Quæ

Quæ summi aspicio crudelia fata Tonantis
 Nec prodesse queat, nec tantum auertere luctum.
 Talia deslentæ mœstæ denso agmine matres
 Suscipiunt, resouentq; sinu: conantur acerbos
 Solari alloquio gemitus, sed manat in omnes
 Luctus edax: pariter deslent, pariterq; queruntur:
 Nec miseræ officium possunt præstare parenti.

FINIS.

GEORGII COELII LVSTITANI

in libellum Luciani de Dea Syria à se latinitate donatum ad Henricum Infantem

Principem illustrissimum electum

Archiepiscopum Bracarensem & Hispaniarum Primate[m]

Præfatio.



N tibi Lucianum expressum sermone latino
 Hærice Hesperia Regum dignissima ples.
 Hic antiqua Asetepla, & cometa uidebis
 Mystica q̄ miro coluit Gæs Byblia cultu.

Cum per agros passim tectis, atq; urbe relicta
 Dilectum Veneri nimium ploraret Adonim.

Atq; hæc (ut perhibent) monstroso è flumine Nili
 Transtulit.

Transtulit in Tyrios fines Aegyptius Apis.
 Mox Syriæ tibi sacra Deæ, insaniq; furores,
 Atque ipsi occurrent certantia templa Canopo.
 Accipies causam cur primum extracta, quis author,
 Quis labentem annis demum instaurauerit aedem.
 Hic tibi uulgati ueterum referentur amores.
 Cum miser Antiochus correptus amore nouercæ
Arsit, & insanum totis bibit ossibus ignem.
 Ab nimium rerum ignarus, qui posse putabat
 Dissimulare ignem, scœuiq; cupidinis æstum.
 Ergo difficilem dum uincere pergis amorem
 Antioche, & ualido luctaris saucius hosti.
 Ipse iaces: tenues macies exederat artus,
 Funereus pallor languentia presserat ora,
 Nec minus interea uehemens exæstuat intus
 Ignis, & ossa uorat. Sic cum se concita uento
 Dispulit in segetem paulatim exercita flamma.
 Mox furit in stipulas, spargensq; incendia late
 Victor cum sonitu exuperat Vulcanus ad astra,
 Et cœlo agglomerat piceam caligine nubem.
 Nequicq; aspiciens deflet sua damna colonus.
 Antioche infœlix quæ tanta insania mentem
 Impulit? ut cœco malles contendere amori.
 Falleris heu nimium: nescit succumbere, & ipse

e Vincit

Vincit Amor Superos: Dum tu refugisq; negasq;
 Ille alitur, uiresq; capit: grauiusq; premendo.
 Nititur in uetitum indomitus, sæuusq; Tyrannus:
 Non illi est nostri ratio, nõ cura laboris,
 Neclachrymís hominum, precibus nec flectitur ullis.
 Ergo idem immiti transfixus uulnere: ad imos
 Elysijs lucos: populus quã luget amantum.
 Et tecum curas, atq; irrita uota tulisses.
 Ni tibi iam in mortem labenti erasistratus ipse
 Ferret opem, & miseros genitori proderet ignes.
 Quid genitor faceret? Quem dira pericula nati,
 Et dolor immani turbarent uulnere mentis:
 Et rursus thalami carituri coniuge pulchra,
 Et desertus Hymen, & nox ingrata manerent.
 Attamen uxori nati præponere uitam
 Maluit, & patrio concessit gaudia amoris.
 Tam miser Antiochi uita: quam morte futurus.
 Durus uterq; labor: sed uter magis ipse profecto
 Henrice ingenij cui gloria cessit & artis.
 Causam expende animo: laus hæc tibi iure feratur.
 Mox etiam ritus templi, & solemnía sacra,
 Aramq; impositam stagno, Gallosq; furentes,
 Clamoresq; Deum, ac uarias mirabere uoces.
 Adde peregrini quo cursu ad limina sacra

Cappadoces, Cilicesq̄, Indiq̄, Arabesq̄, Scythæq̄,
 Quiq̄ bibunt Nilum, & uolentem saxa Niphaten
 Suppliciter sese ferrent, ac dona dicarent.
 Vt medio templi uolitare in aere Phoebus,
 Aederet & uario miranda oracula motu.
 Quid memorem gemmam? Diuæ quæ uertice sacro
 Aemula cœlesti radio, tenebrasq̄ perosa
 Fundebat rutilum late iubar, utq̄ corusco
 Igne reluctantem certabat uincere noctem.
 Vt densos Arabum spirarent templa uapores,
 Et iocunda procul foribus se proderet aura.
 Quin etiam formam Diuæ miraberis ipsam,
 Infestumq̄ Iouem stagno, medioq̄ duorum
 Ignotum Assyriæ Genti & sine nomine signum:
 Vertice cui sancto residet sacrata columba.
 Omnia quæ Latio per me sermone locutus
 Nunc Henrice tibi libro narrabit in uno
 Lucianus: tu parua animi munuscula nostri
Qua curas hominum pellis, qua nubila fronte
 Excipe: si quando aduenient mihi candida fata
 Te uenerande puer nostræ laus unica Gentis,
 Te Graiæ, Laticeq̄ simul decus addite Musæ.
 Dicemus, grandi q̄ tuba tollemus ad astra.
 Ipse etiam nostri partem sibi iure laboris

Vendicat *Alfonsus* frater: cui murice sacro
 Effulget radiatus apex: quo *Præsule* gaudet
Vrbs opulenta *Tagi*: & quem rerum maxima *Roma*,
 Sancta q̄; *Cardinei* miratur turba *senatus*.
 Exulta *Tyberine* uadis: si præscia uatum
 Pectora uenturi, si non indebita posco
 Hunc *Petri* ad solium superis authoribus olim
 Acciri *Italia* tecum plaudente uidebis.
 Ille *Deum* in terris præsentia numina reddet
 Celsior humano, & late moderabitur orbi.
 Nam quæ materies mihi gratior? an dabit unq̄
 Illa dies se se uotorum summa meorum?
Addam & *Ioannis* Regis quoque maxima facta,
Iustitiæ q̄; decus: soboles pulcherrima fratrum
 Formosam uario nectet mihi flore coronam.
 Sed nos forte tuas *Henrice* obtundimus aures:
 Tempus & *Assyriæ* ritus cognoscere *Gentis*.

LVCIANI DE DEA SY-
ria Liber unus: Georgio Cœlio Lusit-
tano interprete.



ST in Syria ciuitas haud p̄cul ab Euphra-
te flumine: appellatur autem Hira. i. sacra:
& Hira quidem ab Hera. i. Iunone Dea
Assiria: quæ in ea ciuitate colitur. Vide-
tur porro mihi appellationem hanc non simul cum ipsa
urbe natam esse: sed aliam prius fuisse. At postea cum
Hiri magni, ac celebres facti essent: in hoc posterius no-
men uetus cognomētum uerterunt. De hac igitur ciuita-
te, & de rebus eius: quæcunque in ipsa extant: dicere ag-
grediar: dicam & instituta: quibus in sacra utuntur: &
solemnes conuentus quos celebrant, & sacrificia: quæ
peragunt: dicam & quæcunque de fani huius instituto
ribus fabulantur, quouē pacto templum constructū fue-
rit. Scribo autem cum sim Assyrius. Atq; ex his alia
nos quidem referemus: quæ oculis perlegimus: alia uero
à sacerdotibus percepimus, sed quæ ætatem nostrā an-
tecesserunt: ab his historiam auspicabimur. Primi itaq;
mortalū Aegyptij: (quātū nos sciamus) & in Deo-
rum cognitionem uenisse, & templa constituisse, lucosq;
& festas celebritates exhibuisse perhibentur: primi quin

etiam nomina sacra nouerunt, sacros sermones protulerunt. Haud longo post tempore Assyrij ab Aegyptijs ea quæ de Dijs tradita erant accipientes & ipsi sacra & templa ædificarunt in quibus simulacra posuerunt: statuas dedicarunt. Vetusstissimis autem temporibus ne apud Aegyptios quidem in templis idola fuerant. Et extant hodie fana in Syria (quorum nos pleraque uidimus) eiusdem ferè cum Aegyptijs uetusstatis: uidelicet unum est Herculis quod Tyri uisitur: non illius quidem Herculis quem Græci decantant: quippe hic alter quem refero & multo uetusstior, & heros Tyrius est. Est & aliud in Phœnicia templum magnum illud quidem, & à Sidonijs cultum: quod ut ipsi asseuerant. Astarte sibi uendicat (Astarten nos lunam esse arbitramur). Verum ut mihi quidam ex Hiris rettulit: Europæ Cadmi sorori dicatum est. Si quidem hanc Agenoris Regis filiam cum ab oculis euannisset, & tēplo profecuti sunt Phœnices, & sacrum sermonem de ea tradiderunt: ipsam uidelicet eximia pulchritudine à Ioue deamatam, & cupitam fuisse: mox illum in tauri speciem transformatum & puellam rapuisse, & in cretam abduxisse. Huic uero opinioni tum hæc eadem ab alijs mihi Phœnicibus audita astipulantur: tum etiam numisma ipsum quo Sidonij

utuntur.

utuntur. Habet enim Europam insidentem tauro Ioui: Quæ res cum ita se habeat templum tamen Europæ esse multi non admittunt. Habent & aliud Phœnices ne illud quidem Assyrium sed Aegyptium Quippe quod ex Heliopoli in Phœniciam translatum est. Hoc uero ipsi non uidimus: cœterum ingens, uetustumque esse constat. At enim Veneris Bybliæ augustum fanum Bybli uidimus: ubi & orgia in Adonim peragunt: quorum nos rationem percepimus. Ferunt enim facinus illud à sue in Adonim perpetratum in sua ipsorum regione accidisse. Propterea ut tam miserabilis casus extet monumentū singulis annis plangunt se, lamentantur, atque orgia peragunt, maximisque certatim luctibus per regionem operantur. Mox ubi percuti, & deflere desierint primum quidem Adoni ut mortuo inferias mittunt: postero autem die & uiuere sermonibus iactant, & in aera sursum reuocant. Sed & capita radunt: quæ admodū Aegyptij cum Apis moritur. At uero mulieres quæcunque radi nolunt huiusmodi multa satisfaciunt. Vno quidem die sic questum meretricium exercent: ut solis peregrinis copiam sui faciant: susceptamque omnes mercedem sacrificij loco Veneri offerunt. Sunt & quidam ex Byblijs qui dicant apud ipsos Osirim Aegyptium humatum fuisse: lue
Et usque

Et usq; huiusmodi, & orgia non illa quidem in Adonim uerum in Osirim cuncta peragi. Nec uero graua-
 bor dicere unde hæc uera existimēt: Etenim singulis an-
 nis caput ab Aegypto usq; Byblon appellitur cursum
 septem dierum enatās: feruntq; illud uenti secunda quadā
 ac diuina nauigatione. Nec uero aliò unq; uertit sed ad
 unam Byblon defertur. Est itaque hoc omnino admira-
 bile sed illud etiam quod uno quoque anno ea res accidit:
 id quod me præsentē dum Bybli agerem factum est,
 ipsumq; ego caput ē papyro compactum spectauī. Est
 & illud mirum in Bybliorum regione. Ex Libano mō-
 te fluuius in mare exit cui nomen Adoni. Hic porrò
 fluuius quotannis cruentatur, sanguineoq; colore sic ma-
 ri miscetur ut non parum etiam ipsius æquoris rubefa-
 ciat. Quæ res ubi accidit Byblijs Adonidīs orgia
 denunciat: ijsdem enim diebus Adonim ipsum in Liba-
 no monte uulnerari, cruoremque in undas decidentē, am-
 ni speciem immutare, atq; ex hoc causam quoq; nominis
 traxisse fabulantur. Et hæc quidem plerique inuulgant.
 At mihi uir quidā ex Byblo qui grauis esse, & ueridī-
 cus uideretur, aliam mutationis huius causam sic expo-
 suit. Adonis (inquit) fluuius o hospes per Libanū mō-
 tem deuoluitur: ipse autem Libanus terrā habet in flauū
 plurimum uergētē. Validi igitur ac statim uenti per eos
 dies

dies efflantes terram haud modice minio commistam in flumen deferunt: ea sanguineum reddit. Quam ob rem huiusmodi quidem cōuersionis sanguis in causa non est. (tamen si plerique id autumant.) Verum ipsa soli natura. Et haec tenus quidem Byblius. Quæ quæuis uere dicere uisus sit mihi tamē stata ipsius flatus uehemētia quiddam maxime diuinum præ se ferre uidetur. Ad hæc ad montem Libanum ascendimus Byblo profecti (abest autem ab eo oppido unius diei iter) quod illic Veneris uetustum templum. à Cynara quondam constructum esse audiebamus. Ipsum igitur uidimus: & uetustum admodum uisum est. Atque hæc quidem sunt fana quæ in Syria tū antiqua, tum magni nominis habentur. Enim uero quanquam non aliter hæc habeant: nullum tamen mihi eo quod in Hira ciuitate spectatur augustius uidetur. Nec enim templum aliud sanctius, regio sacratioꝝ. Sunt autem in ipso & opera sumptuosa, & uetustissima donaria, plurimæque etiam miracula ac numine plena idola in quibus ipsi Dij ualde præsentēs, manifestique sentiuntur. Et sudant per se ipsa simulachra, & mouentur, & edunt oracula. Ac sæpe numero clauso templo intra ipsum fanum numerosa uox, clamorque exoriuntur: id quod multi audiunt. In super quod attinet ad opulentiam eorum quæ nos scimus facile princeps est. Etenim

quæ plu

Quæ plurimæ ex Arabia, Phœnicibus, & Babylonijs
 opes eidem donomittuntur: multa ex Cappadocia affe-
 runtur: multa Cilices ferunt, multa & Assyrij. Vide
 re etiam mihi licuit: quæ in ipso templo in abdito seruan-
 tur: uestem uidelicet plurimam, cæteraque ex auro & ar-
 gento. Iam tot dies festi, totque solemnes uno in templo
 celebritates haud usquæ apud cæteros mortales inuenias.
 Atquæ mihi huiusmodi historiam exorso: & de tēpli ip-
 sius uetustate, dequæ prima eiusdem extruptione, tum de
 ipsa Diua: quæcūquæ demū ab his esse putetur haud pau-
 cæ se offerunt opiniones. Quarum aliæ sacræ, aliæ eui-
 dentes, nonnullæ fabulosæ, quædam barbaræ, sunt &
 quæ cum Græcis cōsentiant. Quas ego ut singulas qui-
 dem recensebo: sic nequaquæ ausim affirmare. Plerique igitur
 Deucalionem Scytham templū posuisse dicunt: illū
 inquam Deucalionem: sub quo ingens inundatio exti-
 tit. Nos uero de ipso huiusmodi fabulam à Græcis ac-
 cepimus, Hanc hominum stirpem non antea fuisse: sed
 qui ex priore quidem fuerant omnes periisse. Eos autem
 qui nunc sunt: secundi generis esse: quod à Deucalionis
 temporibus rursum propagatum est. Igitur de prioris
 ætatis gentibus talia fabulantur. Cum ualde iniurijs, cō-
 tumeliosiq; forent homines: cum nefaria opera perpe-
 trarēt, nec iniuriam seruarent, nec hospites exciperēt,

nec supplices etiam ferrent magnam eis pro talibus calamitatem ingruiſſe. Repente immenſam aquarum uim e terra extitiſſe: denſiſſimos enim imbres deſcendiſſe, flumina uaſto undarum impetu torrentia profluxiſſe, mare ipſum altiſſime intumuiſſe. donec & omnia obruta ſunt aqua, & mortales ferme omnes interierunt. Vnicum autem ex omnibus hominibus Deucalionem ob mentis integritatem, nec minus erga deos pietatem in ſecundum hominum genus relictum fuiſſe: hunc adeo ſalutem tali ſibi ratione nactum eſſe. Arcam ingentem quam habuit liberis & uxoribus prius impositis ingreſſus eſt. Ecce autem illi ingrediendi occuriſſe ſues & equos leonumque genera, & ſerpentes breuiter quaecumque animantia tellus gignit, atque alit, bina omnia, & in paria generatim diſtincta. At illum & cuncta excepiſſe, eaque ne minimam quidem hoſpiti ſuo nocuiſſe. ſed & miro quodam amore eum obſeruafſe. Ita donec inundatio inualuit, ac dominata eſt. omnes in eadem arca enauigaſſe. Et haec de Deucalione Graeca tradit hiſtoria. Porro qui ab his dependet ſermo, & ab ipſis Hira ciuitatis hoibus uulgatur maxime admiratiõ dignus eſt. ſua quippe in regione terram in ingentem uoraginem conſediſſe. quae uniuersam inundationem in ſe receperit. At Deucalionem eo in loco & aras poſuiſſe, & templum ſupra ipſum hiatus Deae

Herae

*Heræ sacrum excitasse. Et nos quidem hiatum uidi-
 mus: subest ille templo exiguus ualde: an uero ex maxi-
 mo olim & spaciofo paulatim in angustum qualis nūc
 uisitur coiuertit: mihi id quidem non liquet: quem ego
 certe uidi modicus admodum est. Atque huiusce hi-
 storice illud signum esse aiunt: quod bis singulis annis
 falsa ex æquore aqua in templum inuehitur: quam non
 ipsi modo sacerdotes sed omnis quoque Syria, omnis
 Arabia ferunt. Quinetiam plurimi Mortales: ex
 his qui trans Euphraten agunt in mare ueniunt, & hau-
 stam quisq; aquam in templum inuergunt: illa uero in
 hiatum defluit. Qui cum egressus (ut diximus) sit mirū
 profecto uidetur eū tantarum aquarū capacem esse. Cæ-
 terum propterea id eos exequi: quod Deucalion huius-
 modi ritum in ipso templo instituerit: quasi id haberi
 uoluerit: uel calamitatis, uel beneficentiæ suæ monumen-
 tum. Vetusissima igitur de hoc templo opinio non ali-
 ter apud illos habet. Alij Semiramim Babyloniam
 cuius plurima opera in Asia spectantur: hanc ædem
 extruxisse putant, nec tamen Heræ: uerum suæ ipsius
 matri posuisse: cui nomē Derceto. Dercetus porro spe-
 ciem me in Phœnicia spectare memini: nouum ac pere-
 grinum sanè spectaculum: nempe dimidia parte mulier
 est: ab inguinibus uero in piscem desinit. Cum alioqui
 hæc*

hæc ipsa Derceto sub muliebri imagine in ciuitate Hira expressa uideatur. Atq; opinioni huiusmodi fidẽ nõ id sanẽ probabiliter inde astruere conantur: quod pisces rem sacram existiment, nec ullo tempore attingant: ad hæc cœteris quidem auibus uescantur: unica uero columba abstineant: quæ etiam illis sacra est. Quocirca sic statuunt nõ alia q̃ Dercetus, & Semiramidos gratia: hæc instituta fuisse. Et parcere quidem piscibus: quod Derceto piscis effigiẽ præferat: at colũbæ, quod ipsa Semiramis postremo in columbam fuerit uersa. Nos autem templum ipsum ædificatũ à Semirami fuisse: admittamus fortasse: dictũ uero Dercetoni fuisse nequaquã ut id credamus: adducimur. Etenim & apud quosdam Aegyptios uesci piscibus nefas est: cum uidelicet id ipsum in gratiam Dercetus nõ faciant. Traditur & alius sacer sermo: quem nos alioqui à prudenti uiro accepimus. Ipsam quidem Deam Rheam esse: cœterũ templi opus Atti debere ascribi. Hic inquam ille est Attis: qui & Lydus fuit, & primus omnium orgia in Rheã docuit: quibus deinde & Phryges, & Lydi & Samothraces: cum ab Atti ritũ accepissent: sunt usi. Porro quæcunq; de Atti traduntur ea etiam hac in ciuitate accepi: quẽadmodũ ab Rheã sectus à uirili uita abstinerit: eumq; in fœmineam faciem transformatum: habitu

bitu muliebri omnem terram peragrassè, atq; orgia fecisse simul quæ passus foret prodendo simul Rheã laudando. Inter hæc in Syriam uenisse ubi cum ab his qui trans Euphraten agunt nec se, nec sua orgia recipi uideret in hoc ipso loco templū condidisse. Sed & nō pauca signa Diuam non aliam q̄ Rheam esse arguunt. Et leonibus enim uehitur, & tympanum habet, ad hæc coronam in capite turritam gestat: qualem admodum Rheã Lydi effingunt. Qui uero me horum admonuit ne ille quidem Gallorū oblitus est qui in hoc tēplo sunt. Nec enim unq̄ Gallos Iunoni sed Rheæ incidi, & Attim imitari: quæ sanè mihi conuenientia uidentur, coxterum nequa q̄ illa uera: ut pote qui aliam sectionis rationē longè probabiliorem acceperim. Etenim præter coxteras illa me ratio mouet: quæ cum græca historia in plerisq; consentit. Nō ergo hic desunt qui & Deam Iunonem arbitrētur, & operis extructionem ad Bacchum semel referant. Si quidem Dionysium. Qua tēpestate ex Aethiopia reuertebatur ad Syriam deuenisse. Sed & multa in æde signa non alium conditorem q̄ Bacchum arguunt: in quibus & uestes barbaræ & lapilli Indici, elephantorumq; cornua uisuntur: quæ ipse Dionysius ex Aethiopibus detulit. Quin & Phalli duo (Phalus græce uerenda significat.) immani quadam, & incredibili

incredibili altitudine in ipsis templi uestibulis spectatur: quibus tale epigramma insculptum est. Hos Phallos Dionysius Iunoninouerca posui. Quanquā uero hęc opinionem de Baccho sat probare, atquē testari uidentur adijciam tamen aliud quod intra templum Dionysio sacrum apparet. Phallos Græci Baccho erigunt: cuius rei causa illud astruunt ligneos homunculos immania uerenda præferentes: quæ neurospasta uocant. Cernitur igitur & hoc in eodem fano ad dextram templi partem: ubi æneus eiusmodi homuncio sedens immodica genitalia ostentat. Et hęc quidem sunt quæ de ædis primis conditoribus fabulantur. Nunc iam tempus appetit ut de templi quod nunc extat. ædificatione, quauē de causa positum fuerit: quis uē ipsum condiderit dicere aggrediamur. Tradunt igitur templum quod a primordio ædificatum fuerat: neutiquā ætate nostra superesse. Sed illud quidem temporis uetustate labefactū corruisse: quod uero nūc uisitur Stratonices Assyriorum Regis uxoris opus esse. Videtur autem mihi hęc esse illa Stratonice: quā suus priuignus Antiochus ad-
 amaui: id quod singulari medici Erasistrati prudentia animaduersum fuit ac depræhensum. Vbi enim miseria iuuenem inuasisset, nec ille grassanti iam malo potis esset reluctari: Quippe qui ingentem turpitudi-
 nem

in u. usq
 ad fo. 48

nem si amorem aperiret uerebatur tacitus graui morbo conflictabatur. Iacebat autem nihil omnino doloris indicans, at color penitus immutatus erat, corpusq; ægerrime habens indies magis tabescebat. Sed medicus cum acri ingenio perspiceret nullius morbi causam apparere cōtinuo amoris perturbationem ratus est. Plura uidelicet signa occulti ignis concurrebant. oculi imbecilli, uox laissa, color funereus, lachrymæq; affatim intercidentes. Itaque cum hæc perspexisset tale quiddam artifex Erasistratus exequitur. Manu dextra ad cor adolescentis admota tantisper ibidem tenuit dum omnes qui e regia erant singulatim accersiti adessent. Et uero coeteris ingredientibus æger amore iuuenis æque in magna quiete perdurare: uerum enim uero uix dum nouerca ingrediente color repente immutari, sudor diffluere, tremor totū corripere, cor ipsum acriter subsultare. Quæ ipsi tandem medico testatissimum amorem reddiderunt. Sic adeo tantæ sollicitudini maturat auxilium. Cum enim Seleucum patrem uebementer de unico filio anxium seduxisset. Nempe (inquit) ualeitudinem in quam filius tuus o Rex incidit caue ne posthac ualeitudinem dixeris. Quando neq; quicq; (ut coeteri ægroti assolent) patitur, neq; nostræ artis uel minimum eget. Nanq; illum turpis amoris insania in ancipitem perturbationem mente

te externata coniecit: ex qua plurimum uereor ne extremus (quod *Dij* prohibeant.) tibi luctus impēdeat. Do leo tamen animi q̄ discrutior q̄ huius tam acerbi mali curatio infamiam meam petat non opem medicam desyderet: atq̄ utinā desyderaret modo. Etenim quā hoc mihi expetendum, & cum primis gloriosum tam illud scilicet turpe & calamitosum. Sed ne uerbis crimen per se graue frustra exaggerare uidear uel te iudicem mihi cōstituiā. Filius enī tuus *Antiochus* cōtra fas, cōtra piū, meam unius uxorem perditissime deperit, ut nisi nefarij uoti compos fiat se q̄ celeriter moriturum esse dicat. Ergo in eas angustias infœlix cōiectus sum ut cum me medicum profitear ægroto *Antiocho* mederi nequeam? Quod te etiam atq̄ etiam oratum uelim ne uim nefariā per summam iniuriam in me exercere uelis ne ue apud te magis paterna indulgentia q̄ uirtus & iustitiæ ratio dominantur. Quod si te nihil nec diuina nec humana iura in meum dedecus curare sensero ne illam quidem me ociose spectante quispiam auferet priusq̄ *Deos* penates coniugij nostri testes cruore meo polluat, contemneretq̄. Vt cum scelus sceleri accumulatum fuerit grauius *Dij* immortales in tantam impietatem animaduertant. Et his quidē uerbis sapienti quodā astu aggressus *Erasistratus* regē est.

f

continuo

continuo precibus obsecrare ne se in supremum orbita-
 tis luctum conijciat. Per ego (inquit) Erasistrate &
 sapientiã tuã te, & artis medicinæ professionẽ obtestor.
 ne idẽ infœlicissimo iuueni dirũ cõpares exitiũ. qui eius
 affectæ, deploratæq; saluti cõsulere antè alios deberes.
 Neue eodẽ puncto tẽporis nati funus, patris sepulchrũ,
 generis nostri interitum, domusq; Regiæ occasum spe-
 ctare crudeliter ambias. Quid enim miser ultra habeo
 quòd mortẽ deprecer aut huius cõmunis lucis usurã ex-
 petã? si nostri spem sanguinis, regniq; subsidium, si uni-
 cã meã senectutis requiẽ sub primo iuuentutis flore mi-
 bi ante oculos eripi, atq; extingui perferam. Quid por-
 rò sceleris & præsens & omnis futura ætas ei nõ im-
 putet? qui iacturam ineluctabilẽ leui damno & quod fa-
 cile pensari queat nõ redimat. O infausã meã caniciẽ,
 ò acerbã & præcipitẽ senectutẽ: Me ne fili charissime
 longe lateq; propagasse imperiũ ut te hæredem unicum
 quem Deorum exorata numina mihi tandem concesser-
 ant superstes ipse uita spoliari paterer? Ergo ego
 luctuosam orbitatem, crudelem senectutem, mortem
 infeliciissimam (quæ mala plurima mihi impendent)
 quã primũ declinare, & providere non debeam? Et
 reputa per Deos Erasistrate utri ex nobis malum acer-
 bius ex ea re consequatur. Nam si miserrimus Antio-
 chus

chus nullo cogente amore degener modo patriæ uirtu-
 tis ad inferendam iniuriam se parauit. iam lachrymas
 ut potero cohibebo. nec in summo meo dolore filij peri-
 culum deprecabor: sin inuitus perturbationi succubuit,
 & tandiu repugnauit insolentiæ. donec uitæ aleam su-
 bierit. id nunc te oro Erasistrate in commune ut con-
 sulas: nec præter modum zelotypia laborans. &
 uniuerso regno nostro ingentem calamitatem incutias,
 & dulcissimum mihi filium senectutis nostræ solatium.
 crudeliter extingui perferas, summam deniq; in te ipsum
 inuidiam concites. Cum ad hunc modum Rex depreca-
 tus esset. ignarus uidelicet omnium. haud cunctatus est
Erasistratus. sed eadem uultus, affectusq; simulatione
 huiusmodi uerba uicissim habuit. Nihil ergo nec iustitiæ
 decus, nec nuptiarum ius sanctissimum, nec existimatio-
 nis artisue meæ ratio te Seleuce mouët. quin thalami po-
 stes perfringas, uim geniali lecto, & penetibus inferas,
 meq; ab uxore cõiugem à marito. Dijs hominibusq; in-
 uitis abiungas. Sed quando æquissima mea postula-
 tio nihil (ut sentio) uim tuam cohibet. & ego miser
 nihil uerbis proficerem. cedam tibi Seleuce: cedere
 enim necessum est. Deos tamen ultores & quos tu scili-
 cet impietate tua in festos tibi reddidisti. nunq; obtesta-
 ri desinã. cumq; in illam umbrarũ eternã domũ descen-

dero. acerbissimum mei doloris sensum. integrum illuc
 perferam, omniumque pœnarum genera in acceptæ calami
 tatis ultionem prouocabo. Tu enim sacra cõnubialia te-
 merata religione polluis, tu ad diram impotentiam As-
 syriæ regibus aditum aperis, tu omnium gentium populorumque
 inuidiam in te ac sanguinem tuum graui piaculo contrahis.

Quid autem eo principe qui se magni illius Alexãdri
 successorẽ iactat magis indignum? Enimuero optimi Re-
 gis officium est nec se in fontibus iniuriam præbere, nec si-
 bi minas quàm cõteris imperare. Atque ut apertius Seleu-
 ce iniquitatem rei introspicias, finge obsecro uxorem tuam
 me internuncio abs te flagitari: profecto nunquam id com-
 mittendum putares, tametsi me adeo moleste urges, ut
 stratonicen tuam Antiocho quibus periclitanti concede-
 res. Hic Seleucus asserere, per sancteque iurare, uel sua
 ipsius coniuge lubenter cessurum modo ab ea re nati mi-
 seriam releuatum iri cõfideret, nec uero se ei uxorem in-
 uisurum quem unum rerum omnium longe charissimum
 haberet. Proinde falsam ex animo suspicionem depone-
 ret, pietatemque paternam impietati ne uerteret. Atque
 utinam tanto munere extremum ætatis suæ actum Di-
 immortales cumularent, uti nouerçæ modo desyderio fi-
 lius affligeretur. Nec enim molestum cuiquam futurum, et
 uitam Antiochi quàm primùm à miserrimo amoris iugo as-
 sertum

fertū iri: siquidē acerbiorē multo filij. q̄ uxoris iacturā
 esse. Cōiugē enim uulgo inuenias, aut modico certe labo-
 re cōpares: filium. nec aliunde quærere tuo arbitratu li-
 ceat, & nisi fortunæ casu incertoq̄ tēporum momento
 suscipere nequeas. Cum hæc queribunda uoce. inter ge-
 mitus, singultusq̄ miser senex excusaret. non ultra tulit
 Erasistratus optimi Regis, patrisq̄ indulgentissimi la-
 chrymas: sed ita demum eius animo explorato. sermonē
 medium hisce uerbis interruptit. Clemētiam ne prius lau-
 dē an pietatē tuam admīret Rex Seleuce? etenim pari
 gradu ad utriusq̄ uirtutis fastigium emicuisisti: cum &
 audaciam meā quæ secum imperij salutem trahere uide-
 batur. modestissime tulisti, & nati uitam q̄ maximo
 pretio redimere non dubitasti. Me hominem incōsultū.
 qui cū actionum tuarum gloriam, animiq̄ inuictam for-
 titudinem perspectam haberem. ueritus tamen fuerim. ne
 te nisi longis ambagibus. ad tam gloriosum facinus pos-
 sem animare. Sed iā non ultra committam. ut te diutius
 suspensum teneam: sed te metu omni, & solitudine libe-
 rabo. Nam Antiochus tuus Seleuce. quem uelut mor-
 tuum defles: de quo adeo moerore conficeres. Stratouinē
 tuam efflictim & miserabiliter deperit: eiusq̄ unius de-
 syderio perditē supraq̄ modum exardet. Illius forma
 infœlicem iuuenem inuitum rapuit: illius decor in lan-

gorem, extremumq; uitæ discrimen adduxit. Neq; enim Antiochus uxorem meam concupijt unq;: quod tamen si accidisset. au ego tam insolens tam à sensu communi alienus futurus fuisset. uti eam rē. in qua salus patriæ uerteretur, quæ certam nomini meo immortalitatē promitteret. summi ob id sceleris cōuincēdus recusarē. Aggredere igitur ad pulcherrimum facinus Dijs hominibusq; plaudentibus o Seleuce nempē nato unico salutem tibiq; spem regni, generis subsidium, securitatē imperij, trāquillam deniq; & beatam senectutē comparaturus. Persuasus igitur est Rex: & filio quidem uxorem & regnum reliquit, at ipse in Babyloniæ regionem profectus ciuitatem sibi cognominem ad Euphraten condidit: ubi & diem suum obiit. Ad hunc itaq; modū amoris insaniam & perspexit, & medicatus est Erasistratus. Porro Stratonice sub priore etiam num marito huiusmodi in somnium uiderat. Imperabat illi Hera Dea ut templum sibi in ciuitate Hira in Stauraret: id si contemneret. tum plurima illi, eademq; pessima interminari. Et primum quidem Stratonice nullius momenti eam rē habuit: postea cum ualido morbo corriperetur. tum deniq; uisum Seleuco narrat, Heram placare nititur, fano ædificando se uoti ream facit. Mox igitur pristina reddita ualetudine uir deorum metuens. uxorem in ciui-

tatem

tatem Hiram mittere properabat, opes parabat, exercitū cogebat: partim qui ædē ædificarēt, partim qui Regnam custodirent & honorifice deducerent. Inter hæc uno ex his quos maxime charos haberet optimis moribus, & probitate summa iuuenē (erat autē huic nomen Cōbabo) ad se uocato. Ego te (inquit) o Cōbabe longe ante cæteros amicos quippe uirtute præstātem diligo: tuamq; uel prudētiā, uel erga me pietatē apprime, ac modis omnibus probo: cuius uidelicet si uere me amas iā pulcherrimū mihi documētū præstiteris. Etenim si unq; alias probatissima quadā fide in præsentia indigeo. Propterea decretum est mihi ut tu Stratoniceam meam sequens opus faciendum, atq; ad exitum perducendum cures, sacra rite absoluas, in super exercitum ducas. Quæ si cum fide uti par est procuraueris tibi deinde reuerso multo maximum laboris præmium à nobis erit. Vix hæc finierat, & Combabus effusis precibus obsecrare ne se mitteret, ne ue quæ se ipso longe maiora essent sibi auderet cōmittere utiq; uxore, sacrūq; opus. Verebatur autem adolescens ne ipsi diutina cū Stratonice consuetudo futura lapsu tēporis i Zelotypiā apud Seleuci uerteteret, uel eo quidem magis quod unus cum potestate summa deducturus esset. Verū cū dominū sentētia mouere nō posset ad aliā orationē suppliciter cōfugit iuuenis:

concedi sibi saltem dierum septem interuallum postulat: qua modica tēporis mora ubi nō nulla curasset. quæ cū primis opus haberet tum ad imperata se presto, & accinctum fore. Quod ipsum cū facile impetrasset. domū primum regreditur, atq; humi proiectus ad hunc modum secum misere lamentabatur. O me infelicem: quid enim me iuuat uel fidei probatū haberi, uel unum ex omnibus ad tantum munus deligi cuius tam acerbus finis iā nūc mihi oculis obuersatur? Ego ne tam iuuenis formosam mulierem sequar? Veb misero mihi: quā magna mihi inde calamitas impendet, nisi ipse omnem eius mali causam primum amoueo. Ergo necesse est me nouum atq; ingens facinus audere, sed quod unicum tanti est. ut me in posterum ab omni formidine securum reddat. His dictis. haud ultra moratus seipsum mutilat, eunuchūq; facit. Porro uerendīs quæ exciderat conditis in uasculū, & melle, myrrha, odoribusq; inditis id ipsū uasculū annulo proprio obsignat. Tū deniq; miserando uulneri medica ope auxiliatus est. Post hæc ubi pfectionis tēpus aderat ad Seleucum se contulit: ibi coram frequenti coetu simul ipsum uasculum Regi porrigit, simul hæc uerba loquitur. Pretiosissimum uas hoc o Domine domi meæ in parte penitissima seruabatur: quippe quod eximium meæ conditionis bonum statuerem, & perinde

perinde maximi ducerem. Nunc quandoquidem longum iter imperio tuo obsequens aggredior: apud te depositum cupio. Proinde tuæ summæ uirtutis, benignitatisq; fuerit ipsum mihi in tuto diligenter aſſeruari præcipere. Nec enim id iniuria: cum huic nullum uel maximum theſaurum comparandum habeã, idemq; non ſecus ac propriam animam diligam. Ita ut cum impoſito abs te onere defunctus: huc reſſus fuero: hoc ipſum æque integrum, æque illibatum abs te recipere, domũq; meã poſſim reducere. Hæc cum audiſſet Seleucus: omni cum benignitate uasculum accipiens, alteroq; ſigillo muniens certis deinde à cubiculo tradidit, diligentiffimeq; cuſtodiendum edixit. Et uero Combabus ab illo tempore tutum ſibi imperatum iter reddidit. Ergo in ciuitatem Hiram uenientes magno ſtudio templum triennij ſpacio fabricati ſunt. Quo interim tẽpore accidit forte id quod multo antea & metuerat Combabus, & prouiderat. Nam ſtratonice cum longa iam illi cum Combabo familiaritas interceſſiſſet: ipſum demum amare occipit: neq; ita multo poſt: inſane iam flagranterq; deperibat. Vulgatum uero eſt in ciuitate Hira Herã Deã ſe eius caſus authorem uoluiffe: tum ut rara & admirãda Combabi probitas mortalibus innoteſceret: tum uero ut ſupplicium pro impietate Stratonice lueret: quæ

nūminis

numinis negligēs, religionisq; securā lōgo demum inter-
 uallo coacta malo resipuerit, templumq; edificandum su-
 sciperit. Ea igitur cum in amorem incidisset, primū qui-
 dem sibi moderari, & ægritudinem utcunq; cælare:
 post ubi malum latius serpere, q̄ ut silentio inuolui pos-
 set, palam misera conflictari, palam & interdum in la-
 chrymas prosilire, ipsumq; Combabū identidem nomina-
 re. Atq; oīa illi erat Cōbabus. In summa furens ani-
 mi, impotētisq; malo fracta, uiam precandi aliquam mi-
 nus turpē secum anxie uoluebat. Etenim nec areantū illū
 furorem cuipiā aperire audebat: nec rursū illa tanto co-
 natui par erat ut Combabo animū suū pderet. Itaq; cū
 huc illuc uarijs æstibus fluctuaret, ad illud postremo des-
 cendit, ut cū se se large uino inebriasset, ad Cōbabum sic
 madens accederet, sermonemq; cum eo cōnecteret. Si-
 mul enim ingrediente uino, ingreditur & impudentia: ad
 hæc putabat repulsam uoti non ualde turpem futuram:
 quod singula ebriorū facta, ignoratione propriae mētis
 excusantur. Nec uero talia cogitata exequi amās distu-
 lit: sed graui æque se uino distendēs, statim à coena cubi-
 culū ubi Cōbabus manebat, ingreditur: ipsūq; adeo depre-
 cari, amplecti genua, deniq; amorem omnem fateri. At
 ille Reginæ preces atroci, & seuerō uultu excipiens, tū
 rem ipsam detestatus est, tum ebrietatem grauiter im-
 prope

properauit. Hic Stratonice furibunde mināte aliquod
 se indignum facinus ausuram metuens Combabus uni-
 uersam rem aperit, quicquid perpeſſus fuerat. decla-
 rat, postremo rem ipsam oculis uidendam subiicit.
 Quod cum illa nihil scilicet tale uerita aspiceret. ab li-
 bidinis quidem insania destitit. sed enim amoris nunquā
 oblita est. Quinimmo semper Combabum appetere,
 semper se illi coniungere non alio solatio irriti amoris
 usa. Et exprimitur adhuc hic amor in ciuitate. Hira
 Nuptæ mulieres Gallos efflictim ardent, Galli uicif-
 sim insaniunt: tantum uero abest ut Hirorum quispiā
 in eos Zelotypia laboreat. ut rem quoq; huiusmodi ma-
 xime sacrā censeāt. At nō quicq; earū rerū quibus in ci-
 uitate Hira Stratonice indulgebat. Regē Seleucū late-
 bat. uerum plures ad eum uenientes. & amorem argue-
 bant, & falsissimis delationibus aures creduli senis im-
 plebant. Quibus de rebus uehementer Rex ira percūsus
 ab opere nec dum absoluto Combabum reuocat. Nec
 uero desunt qui fabulā hoc loco minime ueram astruāt:
 ipsam aiunt Stratonicen postea q̄ ingens ipsius ardor
 in irritum ceſſerat. litteras ad uirum dedisse quibus ip-
 sum Combabum insimularet quasi is de stupro se inter-
 pellasset. Ita quod de Sthenobæa & Phædra Cnoſia
 Græci idem & Assyrij de Stratonice fabulantur.

Atqui

Atqui ego nullo pacto adducar uel Sthenobæam uel Phædræ talia perpetrasse: tametsi Hippolytum à Phædræ amatum fuisse constat. Veruntamen nos hæc in medio relinquentes eò unde diuertimus regrediamur. Vbi igitur reuocationis mādātū ad ciuitatem Hiram perlatum est, probeq; intellexit Combabus quamobrem accersitus foret. præclara animi fiducia ad reuersionem se comparat: ut potè qui domi criminis defensionem reliquisset. Ipsum adeo ubi primum uenit. statim Rex uinciri, atq; in custodia contineri imperauit. Post hæc iisdē præsentibus amicis Qui & olim cum Cōbabus in ciuitatē Hiram dimitteretur affuerāt. cum eum in medium custodes (uti iussum erat) deduxissēt. primum Seleucus Cōbabū accusare: tum adulterium, tū incontinentiam opprobrando: mox uehementius concitus fidē inuocare, amicitie iura obtestari, atq; in se trifariam Cōbabū iniuriosum fuisse queri. Quòd stuprum patrauerit. quod fidem uiolauerit, quod sacra, religionemq; ipsius Deæ cuius operi ad præsens addictus foret. summa cū impietate polluerit, ac temerauerit. Porro ad huiusmodi regiã cōquestionē nō pauci ex astātibus succlamātes. callidiam ingerebāt. testato. palā Cōbabum & Stratonicē inuicē cōmistos. sese uidisse. Breuiter oēs p̄ tātis sceleribus ut potè acerbissimo piãdis supplicio. q̄ primum
 Combabum

Combabū ipsum p̄na ultima afficiendum censebant. At nō Combabus donec in medio stetit. quicquam uerbis refellere, quicquam declinare: ubi uero ad supplitium iam traberetur. tum deniq; locutus illud suum uasculum identidem efflagitare. asserens. nec stratonices, nec flagitij ullius causa se interim uerum quod ea rex sibi auferre cuperet. q̄ apud eū iter factururus. in uasculo deposuisset. Hic Seleucus aī aduerso. Cōbabū de se falso q̄ri. cōtinuo ex illis quēpiā qbus asseruādū id dederat. Vocat, utiq; statim p̄matur ip̄erat. Quod simul atq; p̄latū est, arripiēs Cōbabus & resignās. simul q̄ inclusa erāt. ostēdit: simul se ipsū denudās eunuchū esse. omnibus p̄bauit. Et hoc illud, hoc illud (īquit) in causa erat. o Rex. quāobrē p̄fectionis curā abs te mihi demādatā. sic inuitus, atq; æger animi aggrediebar. Huius enim cuētus tristissima p̄sagia tacite cogitationi meæ incubātia. sensus meos alioquin ad parendum alacres. à luctuoso onere deterrebāt. Huius inquā extremi, & impij dedecoris formido. postea q̄ tuæ Domine uoluntati omnino reniti meū nō erat. tā dira me ipsū perpeti coegit. pia illa quidem, atq; officiosa erga Dominum. cōterū mihi ipsi qui pertuli infelicissima, ac multo miserrima: & talis a deo cū maneam. tamē eius criminis nomine apud te deferor. quod ab integris modo uiris committi potest. Admira

tus Rex est cum hæc & audiisset, & uidiisset, uehementerq; animū percussus lachrymis obortis Cōbabū amplexatur. Et in uerba deinde prorūpēs. Heu quā (inquit) ingenti & inusitato uulnere in temetipsū Cōbabe crudelis extitisti: Tu ne facinus indignissimū, unus ex omni mortaliū numero tibi usq; adeo infestus patrauisti? nec enim tā dirū, tā horridū, tamq; crudele spectaculū laudauerim unq;. O miserū te mi Cōbabe, & mortaliū infœlicissimū: quādoquidē tā seua tā immania tormēta sustinuisti: sed qualia me hercule nec te pati nec me aspiciere par erat. Tua nanq; mihi documētis omnibus diu perspecta integritas, tua cognita fides o Cōbabe ne defensione quidem ista egere omnino debuerant. Sed quando ita Dēmon infestus tulit primum quidē lachrymas tuas ulciscemur scelestissimorum calumniatorum morte qui te scilicet falso detulerunt, tum calamitatem istam tuam ingens in te nostra munificentia pensabit. uidelicet auri magnum pondus, uestes Assyriæ, atq; equi regij. Præterea nullo in posterum tibi opus nuncio fucrit. Vt ad nos admittare, nec quisq; ullo tempore te a nostro cōspectu arcebit. uel si cū coniuge simul cubē. Hæc cum dixisset Seleucus. nibilo secius executus est: si quidem & Sycophantæ ipsi continuo im supplitium protracti, & Combabo cuncta promissa munera lar-

ge donata sunt. Porro amicitia longe priore coniun-
 ctior inter eos redintegrata est: ita ut nemo alius per uni-
 uersam Assyriam uel sapientia, uel foelicitate Comba-
 bum æquare censeretur. Post hæc Combabus ab rege
 iterum in ciuitatem sacram ipso Combabo postulante
 dimittitur: uti Herae templo, quod pendens, interrup-
 tumq; reliquerat: extremam manum imponderet: eo igitur
 ueniens, & opus ad finem perduxit, & reliquã æta-
 tem ibidem egit. Voluit autem Seleucus tũ uirtutis, tũ
 beneficentiæ nomine illi in sacro statuam poni ex ære:
 erectusq; adeo est: in sacro in summum etiam num uiuẽ-
 tis honorẽ æneus Cõbabus Ermoclis Rhodij opus fa-
 cie quidẽ muliebri: at cultu, & habitu uirili. Illud etiã fer-
 tur: ex Cõbabi amicis: ut quisq; illũ maxime diligeret:
 sic in calamitatis acceptæ cõmunionẽ libētissimo animo
 se tulisse: quod id existimarent iacturæ & doloris Cõ-
 babi esse solatium. Etenim sese ipsi eunucharunt, pa-
 remq; uitam cum illo degerunt. Nec tamen desunt: qui
 totum hoc ad sacram fabulam reiiciant: Quasi Hera
 ipsa: quod Combabum diligeret: plurimĩs in animum se-
 ctionem eã induxerit: ne cum se is unũ ex omnibus pro-
 prij sexus inopem, truncumq; uideret animi angeretur.
 Porro iste cõsuetudo manet adhuc: & nõ pauci quoq;
 anno in sacro uirilitate se abdicant: siue id in Combabi
 salatium

solatium siue in Heræ gratiam faciant: ut cunq̄s enim res habeat nobis eos excidi referre sat fuerit. Iidem uero uirili habitu nunq̄s incedunt: sed & muliebri utūtur, & opera insistant muliebria. Id quod & in Combabū (sic etenim accepimus) authorem refertur: cum & ipse foeminea ueste usus fuerit. Nam ferūt peregrinā quandam mulierem: quæ ad festam celebritatem conuenerat: cū adeo speciosum, eūq̄s in ueste adhuc uirili cōspiceret: uebementer ipsius amore correptam fuisse: mox cum non bonum esse libidini intelligeret: summa desperatione adactam: misere mortem sibi consciuisse. At Cōbabum ægre ferentem: sua causa infelicititer Veneris exerceri artes, desyderiumq̄s amantium irritum esse: ornatum deinceps muliebre potiore duxisse: ne ulla itidē mulier p̄cliui errore laberetur. Igitur hęc causā esse aiunt: quāobrē Galli fæmineā stolā sumpserunt. Ac de Cōbabo quidē hactenus: sed & de Gallis paulopost iuxta finē meminimus, tū de excisiōe ipsorum, tū sepul turæ ritu: hęc addemus & rationē: q̄ eos in tēplum ingredi uetat. Sed anteq̄s ad hęc uenimus: est animus de situ & magnitudine ipsius tēpli nōnulla dicere: q̄ uel hinc potissimum aggrediamur. Locus itaq̄s in quo fanum positum est: editus admodum & accliuus: ad medium maxime, & uelut umbilicū ciuitatis est. Duplici uero muro

cingitur.

cingitur: Quorū alter uetus tus sanē: alter nō ita ætate
 nostra antiquior est. Porro tēpli uestibula ad aquilonē
 uergunt: altitudine cētum prope passuū. Atq; uestibu-
 lis in iisdē illi Phalli de quibus supra meminimus spe-
 ctantur quos Dionysius statuit tercētū passuum altitu-
 dinem æquātes. In quorū alterum bis singulis annis uir
 quidam ascendit, habitat q; in summo Phalli uertice die-
 rum septē spacū. Porro ascensionis causa illa à plerisq;
 redditur q; qui ad eiusmodi fastigiū peruadat eū collo
 qui cū Dijs immortalibus, & pro omni Syria precari
 arbitrātur: Deos uero ipsos ex p̄p̄inquo uota, precesq;
 exaudire. Cōtra nōnullis uidetur hūc ipsum ritū ad tē-
 pora Deucalionis respicere: uidelicet illius calamitatis
 monumētū cū omnia late diluuiū inundāte attoniti, &
 exanimati mortales quā iuga mōtiū, quā celsarū arborū
 cacumina præhēdere raptim festinarēt. Cōterū nec mi-
 hi hæc quidē recipiūtur qui ne ab origine discedatur ad
 Bacchū etiā nū ascensum huiusmodi referēdū existimē.
 Quod ita demū oībus probatū iri cōfido si illud prius
 intellexerint, atq; huc cōtulerint solere ad omnes phallos
 Qui Baccho erigātur ligneos homūculos apponi: quod
 tamē ipsum qua ratiōe institutū fuerit haud temere au-
 sim dicere. Igitur meo quidē iudicio qui ad phalli Dio-
 nysio sacri uerticē euadit: is in imitationē illius homūcu-

li lignei facere id uidetur. Ascensus adeo ipse ad hunc modū perficitur. Qui enim ascēsurus est. proluxa cathe-
na se ipsum pariter & phallum complectitur, tū paxil-
lis protenti pedis capacibus, eidēq; phallo affixis inni-
tēs: simul ipse ascēdit, simul cathenā manibus protenus,
toluimq; trahit, & uelut auriga quidā utrīq; puoluit.
Quod si quis hęc unq; fieri nō uidit: aliquos uero uel in
Arabia, uel in Aegypto, uel postremo alicubi gētūū
palmas scādere uidit uidelicet ipsū quod refero nouerit.
Cū uero ad ascētionis extremū peruenerit aliā deīde ob-
lōgā cathenā ex alto demittēs. quæcūq; sibi opus esse du-
cit: ut sunt ligna, uestimēta, uasa ad se se attollit: ex qui-
bus inter se cōnexis sellā nidi cuiuspiā forma cōponēs in
ea residet. Manet autē eodē in loco iuge (ut diximus)
dierū septē spaciū. Ad hoc igitur sacri genus plurimi
mortales cōfluūt. Et aurū, & argētum, partim uero &
æs: quēadmodū cuiq; uidetur ubi illi desuper sedenti ob-
tulerint, tū pro se quisq; nomina sua protulerint. abeūt.
Quæ cōtinuo minister huic nomenclaturæ destinatus
excipiens sursum renunciat: at ille cuiusq; nomine audi-
to: pro singulis precatur. aneum interim complodēs cre-
pitaculum: quo quidem concusso. asper, argutusq; sonus
excitatur. Nec uero ullo pacto. fas ei obdormiscere:
quod si quando id acciderit. scorpionum aiunt. ad summū
ob repen-

ob repentem e somno excitare, pessimeq; habere. Ac
 dormitantis quidem ignauiam non alia pœna lustrari:
 Sunt autem hæc quæ de Scorpio fabulantur sacra ni-
 mirum, & Deorum maiestate digna: utrum uero sic se
 habeant equidem dicere nõ habeo. Alioqui (uti ego ar-
 bitror) uel una præcipitis ab alto casus formido eo om-
 ni tempore apprime uigilantem reddere sufficiat. Et de
 phallobatis quidẽ ipsis hæc nos tradidisse sufficiat. Por-
 ro autem templum ad exorientem solem spectat: spe-
 ciem uero ac modulum nõ alia præfert atq; tẽpla quæ
 in Ionia fieri solent. Primum itaq; ingens quædam basis
 duorum passuum altitudine cui ædes sacra innitur in
 latitudinem eximiam tenditur: ad quam ascensus breuis
 ex lapide patet. Atque cuilibet ascendenti magnam cõ-
 tinuo admirationem aditus ipse templi præbuerit quip-
 pe foribus aureis exornatus est. At uero intus & tẽ-
 plum ipsum, & templi testæ quæ tota aurea sunt plu-
 rimo undequaq; auro scintillant, splendentiq; fulgo-
 re renidentia oculorum aciem fallunt, perstringuntq;.
 Suauissimus quinetiam indidem atq; immortalis pla-
 nẽ odor exæstuat, & exundans fertur qualem admo-
 dum existere dicunt in regione Arabia. Atq; adeo
 tibi appropinquanti, ascensumq; aggredienti aura il-
 la felicissime odora uel procul occurrerit. Cunq; ex eo

loco unde redolentiſſima nubes fertur diſceſſeris· nibilo
 tamen ſecius & ueſtis ipſa tua fragrantiffimū odorem
 minime amiſerit· & ipſe nullo tempore iocundiſſimi ſpi
 ritus nō memineris. Sed ædes ipſa non una intus aut ſim
 plex eſt : uerum thalamum diſtinctum habet: quò modi
 co quoq̄ aſcenſu uenitur: idemq̄ nullis foribus aut clau
 ditur, aut ornatur: ſed contra totus ſemper patet. In
 magnum igitur templum omnibus ingredi licet: at ue
 ro in thalamum ſolis fas eſt ſacerdotibus: nec ijs ta
 men omnibus, & citra delectum ſed qui Dijs maxime
 accepti ſunt, quibusq̄ totius templi procuratio incu
 buerit. Atq̄ in eodem thalamo ſimulachra hæc ſedēt
 Hera ipſa, & quem deum diuerſo nomine appellant
 tæctſi nō alius eſt q̄ Iuppiter. Ambo uero aurei ſunt,
 ambo ſedēt: ſed Herã quidem leones uehunt: at Iuppiter
 tauris inſidet. Porro Iouis ſtatua oīa eius imaginis li
 neamēta quæ Iouē repreſentēt & caput, & oculos, &
 ſedē nimirū obtinet: ſic ut uel te inuito Ioui eã aſſimiles
 neceſſe ſit. Sed enim Hera multiformē quandā ſpeciem
 obtuent inſinuat. Nã tæctſi ex omnibus q̄ Iunoni aſcri
 bütur Heram ideſt Iunonem cōſtat eſſe aliquid tamen
 habet & Mineruæ, aliquid Veneris, aliquid Lunæ,
 Rheæ inſuper, Artemidis, Nemefeos, & Parcarū.
 Ita q̄ altera manu ſceptrū, altera fuſum cōtinet: at in ca
 pite

pite fert radios, turrin, cestūq; quo sola Venus coelestis
 insignitur. Forinsecus autem cū cætera huius idoli auro
 fulgent: tū uero pretiosissimæ gemmæ per aurum undiq;
 sparsæ iocundissimorum colorū uarietate oculos inter
 admirationē pelliciūt. Quarum aliæ candidæ sunt, aliæ
 coeruleæ, nonnullæ ex fuluo rutilāt: accedunt & Sardo
 nyches ne illæ quidē pauca & hyacinthi & smaragdi:
 Quas & Aegyptij, & Indi, & Aethiopes, & Me-
 di, & Armenij, & Babylonij ferūt. Illud uero lōge
 maiore admiratione dignissimum qui tacitus præterire
 possim? Si quidē Hera ipsius capiti gemma quædam
 inclusa uisitur, appellaturq; Lychnis. (uidelicet id no-
 men, uis & proprietates ipsius meruit.) Unde ardētissimus
 fulgor late exilit, & relucet: sic ut in media quoq; nocte
 uelut crebra luminariū flāma uniuersum tēplum illustre
 tur. At interdiu quāuis illā splendoris uim magna ex
 parte remittat, diurnaq; luce fracta infirmā, & uelut
 sub lāguidā claritatē euibret: speciem tamen seruat ual-
 de igneā, intenseq; flāmatā: ut potè plurimo ac efficaci
 cohibiti luminis ardore micātem, ac uelut indignātem, q;
 propria radiorū uibratio uel ab luce alia tenuetur, uel
 prorumpere, & lampadem illam nitidissimam circum-
 quaq; eiaculari prohibeatur. Sed & aliud miraculum
 in Hera idolo uisitur: etenim si quocunq; stans in loco

ad Deam oculos dirigas illa uicissim ad te respiciat, intentosq; & suos oculos in te habere uideatur: rursus si te alio referas diuina acies euntem sequitur. Quod ipsū si interim alius aliunde experiatur paria sibi euenire intelligat. At enim mediū inter Heram & Iouē locum quoddā simulachrū aureū tenet nulli profus cæterorum omnium simulachrorū assimilē. Quod ut propriā nō habet effigiem ita diuersorum numinum species representat: appellatur autē SIGNVM, uel ab ipsis Assyrijs. Nec enim uel certū adhuc nomen illi statuerunt, uel de origine, & forma ipsius quicq; cōuenit. Alij quidē ad Dionysū, alij ad Deucalionē: sunt qui ad Semiramim referant utiq; ea ratione inducti q; signi eiusdē uertici aurea columba insideat: nec aliud eos præterea mouet cur Semiramidos esse autumēt. Atq; signū hoc bis quoq; anno peregrinatur, ad mare usq; ad eius aquæ de qua supra meminimus inuectionē. Porro in tēplū ingredientibus primū ad sinistram solū quidē solis occurrit: cæterum ipsius effigies in eo posita nō est: cuius rei cum ipse studiosè quererē eā causam edidici. Reliquis enim Dijs quorū præsentia, ueraq; numina nō omnibus manifesta sunt idola statui pium id cū primis, & laude dignum esse nō negāt. Rursus & Solis, & Lunæ imagines representare uelle quorum facies proprias, & im
mortales

mortales in caelo fulgentes, euidētesq; omnibus nullo mō
 strāte homines cognoscāt id demum extremæ cuiusdam
 insipientiæ uideri. Nā quid necesse (inquiunt) eorū deo-
 rū delineare figuras, qui ipsi nostris oculis nullo nō tē-
 pore obuersantur. Post solium autem idolū Apollinis
 locatū est: nec tamē illud quale passim fieri solet. Quip-
 pe cæteræ Gētes Apollinē adolescentulū primaq; ge-
 narū pube florentē effingunt. At Hiri citra exem-
 plum barbati Apollinis simulachrū ostentāt. Atq; in
 huiusmodi inuento quēadmodū gloriantur, & scientiā
 sibi arrogāt: sic interim Græcos carpunt, cæterosq; ad-
 modum quicumq; speciem pubescentis Apollinis uene-
 rantur. Quod præcipitis inscitia esse dicant: mancas,
 & imperfectas Deorū imagines statuere: omne autem
 crescens necdū adultum: utiq; mutilū, minimeq; perfectū
 esse cōtendūt. Sed & uestiū cultū Apollini suo adhi-
 bēt: id quod non minus noue ab his excogitatum est. Et
 quanq; de huius ipsius idoli operibus longior nasci pote-
 rat oratio: attamen breuitati studens unum modo admi-
 ratione multo dignissimū paucis cōmemorabo: si prius
 illud obiter de oraculis omnibus admonuero. Cōplura
 apud Græcos, cōplura & apud Aegyptios oracula
 esse: nihiloq; etiam pauciora in Africa, & Asia spe-
 ctari: ueruntamen nullū eorū sine sacerdotibus, aut uati-

bus unq̄ locutū esse. At enim Apollo iste per se ipse
 mouetur, omneq̄ adeo diuinationē nullius utens lingua
 unus usq̄ ad finē perducit. Diuinādi porro modum hūc
 seruat: Quoties uaticinari auct. cōtinuo in sede propria
 per se moueri, & agitari: sacerdotes igitur statim eū tol-
 lere: id nisi maturent idolū magis & magis in mediū mo-
 tārī, sudare etiā. Dū uero proni summissiq̄; ceruicibus
 sustinent exercet illos, atq̄; agitat Dēmon ad omnia lo-
 ca se conuertens, & ex alio in alium transfiliens. Breui-
 ter sacer antistes ei factus obuiā. Deū de omnibus re-
 bus scitatur, consulitq̄;. At ille si quicquam fieri abnuat
 retro relabitur, ferentesq̄; simul, cedere retro, ac reflecti
 cogit: sin rursus probet in anteriore partem eosdē pro-
 pellit: æque atq̄; auriga quidā. Ad hunc modū plura
 in unum oracula cōgerunt: neq̄; aliquā uel sacrā uel pri-
 uatam rem hoc numine incōsulto aggredi auderent. Sed
 & illos idolū edocet: quis annus: quæue anni tempora: ca-
 ritas ne au ubertas futura sit: ad hæc quo tēpore signū
 peregrinari oporteat. Quid illud non ne admirabile
 quod me præsentē fecit? cū enim a sacerdotibus sustine-
 retur: hos quidē infra reliquit: at ipsū in aere ferebatur.
 Ab Apolline Atlātis simulachrū est, tū Mercurij,
 postremo Ilithyæ. Et hæc quidē intra tēplum: quo des-
 cripsimus ordine disposita sunt. Cæterū extra fanum
 ingens

ingēs quædã ara ænea innumeris tã Regũ q̃ Heroũ
 ex ære quoq̃ statuis exornata est. Quos singulos quo-
 niã pernumerare lōgum esset: eos modo recensendos ha-
 beo: qui memoratu dignissimi uidētur. Primũ igitur ad
 templi sinistrã statua Semiramidis posita est: quæ ipsa
 ædem sacram ad dextram ostendit: posita uero fuit hac
 de causa. Legẽ Semiramis tulerat: uti mortales omnes
 qui Syriã colerent: cæteris post habitis religionibus: sed
 & nulla ipsius Heræ ratione habitã se unã colerent,
 se unam placarent. Igitur asseruabatur hæc lex. Sed enĩ
 cū nõ ita multo post plures à Dijs immortalibus ægri-
 tudines, calamitates, mœroresq̃ pro tanta impietate
 ipsam Semiramim inuaderẽt: coacta demũ est resipisce-
 re, seq̃ ab extremo furore ad sanã mentem reuocare. Er-
 go se mortalẽ cõfessa populis suæ ditioni audiẽtibus rur-
 sum imperauit: ut à superstitione abstinerent, cultusq̃
 numinũ, Deãq̃ Heræ metu legis publice intermissos:
 resumerent. Hinc scilicet factũ est: ut sub tali etiam num-
 gestu expressa uideatur: uidelicet Herã placãdã admo-
 nens: seq̃ nõ iã Deã: sed mortalẽ illã insinuãs. In eadem
 ara tum Helenæ, tum Hecubæ, tum Andromachæ:
 ad hæc Paridis, Hectoris, & Achillis statuas ui-
 dimus: sed & Nireus Aglaicæ effigiem meruit: merue-
 runt Philomela, Progne, ac Tereus: ille quidẽ adhuc
 mulieres.

mulieres at hic in uolucrem iam mutatus. Nec uero
 hisce commemoratis uel aliud signum Semiramidos,
 uel ille æneus quem retulimus Combabus, uel Strato-
 nices longè pulcherrimum simulacrū silentio inuolui
 debent. Adde Alexandrum qui tum propter cætera
 tum ob id quòd iconia illius sit effigies in hoc album fue-
 rit referendus. Iuxta quem Sardanapali quoq; statuam
 uideas cæterum alia figura, alioq; indumento redditā.
 Quinetiam pulchrum spectaculum tibi septum præbue-
 rit in quo magni eximijq; boues, equi, aquilæ, ursi & leo-
 nes nullis uinculis impediti passim errant: in homines
 uero haud quaq; scœuiunt: uerum quemadmodum sacri
 sunt ita cicures imprimis, placidiq; occurrunt. Por-
 rò autem frequens sacerdotum numerus sacra in tem-
 plo procurat: alij enim uictimas maclāt, partim adli-
 bandum necessaria ferunt, quidā igniferi uocantur, sunt
 & qui ob id quod aris ministrant Parabomij dicuntur.
 Equidem cum illic agerem sacerdotes amplius trecen-
 tos rem diuinam facere memini. Hi uero omnes in ueste
 candida incedunt, & pileo utuntur. At enim eorū an-
 tistes (singulis hic annis creatur.) & purpurā induit,
 & aurea tiara insignitur. Accedit alia sacrorum ho-
 minū multitudo, Tibicinum uidelicet fistulatorum, Gal-
 lorūq; & furētū quoq; lymphatarūq; mulierū. Atq;
 sacrificiū

sacrificiū ipsum bis quotidie rite peragitur: ad quod oēs cōueniunt. Et Ioui quidem per summum silētium sacrificatur, nec ulla interim uoce, aut tibia canitur: at uero cū Heræ sacrīs operantur: undiq; cantus reddi, tibias inflari crotala complodi uideas. Verum de huiusmodi rei causa nihil mihi exploratum tradere potuerunt. Sed & nō procul à templo stagnum est: in quo plurimi nō unius generis pisces aluntur: inter quos quidā oppido q̄ magni ex imo existūt: qui ipsi & nomina habent, & uocati accurrunt. Cumq; ego id ipsum mirarer: quendam ex eis me uidere memini: qui appendiculam aureā sub aqua uitrea rutilantem in pinna gestaret: nec ille tametsi eum sepe spectauerim: suo unq; fraudatus insigni apparuit. Miram porrò aiunt profunditatem stagno inesse: cuius sanē rei periculum ipse non feci: cæterum illud affirmāt: ducentos amplius passus eius altitudinem æquare. Enimvero in medio stagno ara lapidea stat: quæ tibi primum spectanti innare admodum & in summa aqua superuehi uideatur: cæterum eam ingenti aliqua, firmaq; columna fulciri potius crediderim: semper autem coronatur, & odoribus adoletur: atq; plures uullo intermisso die: illuc precaturo adnatant, & sarta ferūt. Ad hoc stagnum solemnēs cōuentus, & quidem maxima cum celebritate fiunt: quas descensiones in stagnum uocāt: propterea

pterea quòd tali tempore sacra omnia in stagnum de-
 scendant. Atq; princeps eò Hera aduenit: utiq; in tu-
 telam, & conseruationem piscium: si enim Iuppiter pri-
 us uiderit. pisces ab infesto numine ad unum extingui
 aiunt. Ob id adeo Iouem ipsum tanquam uisendi gratia
 descendentem. Hera facta obuiam moratur: multisq;
 precibus exorat tandem. ut in templum se referat. Sed
 celeberrimi omnium conuentus illi nimirum existiman-
 tur qui ad mare fiunt: uerum quia nihil super his explo-
 ratum mihi est: quippe qui nec ipse ad mare descende-
 rim, nec eiusmodi iter expertus fuerim de ijs modo me-
 minisse habeo. quæ reuersi peragunt. ut potè quæ ocula
 ta fide contestari possumus. Urnulas igitur in aquam
 immerfas, easq; ne aqua effluat. cera obsignatas. quisq;
 suã referūt. Nec tamẽ qui ferūt urnulas. idẽ resignant:
 sed est sacer quidã gallus idẽq; habitat ad stagnum: qui
 simul atq; urnulis coram oblati signacula uiderit, mer-
 cedẽq; susceperit. singularũ uincula resoluit, cerãq; po-
 scit. Vnde plures minæ ipsi Gallo accrescūt. Deinde
 in tẽplũ ipsi iferetes. & libãt, & rite sacrificio peracto.
 domũ quisq; suã regrediūtur. Enim uero festarũ omniũ.
 quas eo in loco uideri celebritatũ maximã illa sibi autho-
 ritatẽ uedicat: q̄ uere ineũte perficitur. Quã alij quidẽ
 Pyrã, alij lãpadẽ appellant. Porro sacri quod in ea fit
 ritus

ritus ad hunc modum habet. Proceras succidunt arbores, atque in septo defigunt: tum capellas & oves, aliasque uiuas pecudes admouentes ab eisdem arboribus suspendunt: huc adijciunt aues, uestem, aureosque & argenteos lemniscos. Quibus rite peractis circum arbores sacra omnia cum pompa deferunt: postremo flammam immittunt. Qua cuncta statim comburuntur. Ad haec solemnia multi mortalium & ex Syria, & ex omnibus finitimis regionibus cateruatim confluunt: aduehunt uero sua quisque sacra & deorum signa ad imitationem illorum. Quin etiam solemnes, & statim dies sunt: per quos multitudo in sacrum coit: Galli uero quae plurimi, atque hi quos retuli sacri homines orgia faciunt. Itaque brachia caedunt, inque scapulis inuicem feriuntur: simul plures astantium tibis concinunt, partim tympana quatunt, alij entheas quasdam ac sacras uoces effundunt. Caeterum haec orgia extra templum fiunt: nec enim eos qui operam eiusmodi praestant in fanum ingredi fas est. Sed & non alio tempore Galli fiunt, sacrisque initiatur. Dum enim illi exerciti furore insanunt, atque orgia faciunt: non pauci ex his qui ad spectandum conueniunt simili furore corripuntur. Quo uehementius instincti talia quaedam exequuntur: rem enim gratam me facturum arbitror si de ipsorum etiam num sectione meminero. Adolescens itaque cuius

menti

menti præceps. illa uesania incubuerit · proiectis uestibus · uociferans in medium prorumpit : mox ense stricto (meo autem iudicio iccirco hæc multis iam annis obseruantur · ne Gallorū numerus deficiat.) sese ipse excidit, eunuchatq; . Iā ergo lymphatus, & uitulans uage per ciuitatem discurrit · manibus excisa genitalia præferens: ab ea uero domo · in quam ea proiecerit · & habitum fœmineum, & mundum muliebrem assumit . Et hæc quidem in excisionibus peragunt . At enim mortui Galli non eandem quam cæteri sepulturam sortiuntur: uerum ut uita quisq; eorum excesserit · à socijs sublati in suburbana effertur . Ibi cadauer eo ipso in pheretro quo elatum fuerit · ingestis desuper lapidibus obruunt: quibus rite peractis in ciuitatem se recipiunt . Nec uero ante diē septimum eis in sacrum ingredi licet: quod si has uelut denicales ferias minime obseruantes · præfinitum numerum anteuertant, temereq; introeant. piaculum non modicum contrahunt. Alijs præterea institutis in funeribus utuntur . Etenim si eorum quispiam cadauer uiderit · huic ea ipsa die nefas est · ad templum accedere : postera uero ubi se expiauerit, ac religione soluerit · ingredi licet . Ad hæc unusquisq; sodalium · qui in domo ubi quis moritur · cohabitauerit · usq; ad trigesimum à funere diem sacro interdicitur : quo demum tempore de cur-

so pristinum capite raso sacrorum usum resumit. Nec aliter id fieri fas est. Boues porro mares & foeminas, capras etiam, & oves immolant: sues tantummodo impuros existimantes nō modo immolant: sed ne comesse quidem dignantur. Nec tamen desunt: quibus tantum abest: ut sues uelut impuri reijciantur: ut etiam Sati Eli putentur. Coeterum inter omnes quæ cælo continentur aues: augustissima quædam res apud illos habetur columba: adeo ut ne ipsius quidem tactu: se dignos censeant: ac si uel inuiti eam attigerint: se se illa die impios, & nocentes autumant. Propterea columbæ familiares his redditæ: & ipsorum domos ingrediuntur, & cibum plerunq; humi capiunt. Sed anteq; receptui canimus: quædam à nobis de his qui ad solemnes cōuentus se conferunt: utiq; cognitu dignissima: strictim recensenda sunt. Peregrinus igitur in sacram ciuitatem proficiscens capite & supercilijs corrasis: ouem immolat: ac cætera quidem in frustra secans: epulatur: tergus uero humi sternens: genu huic incumbit, pedesq; & caput matæ suo ipsius capiti super ponens: sub tali habitu precatur, oratq;: ut præsens uictima litet, benigneq; suscipiatur: & alia opimiore, multoq; auctore se iterū uouet facturū. Sic admodū rite operatus: caput coronat: nec secus cæteri oēs peregrini faciūt. Hi simul ac domo profecti

sunt summa quadam religione se ipsos inter eundem macerant, affliguntque: si quidem uel ad reprimendam sitim. uel ad lauandum non alia quam frigida utuntur: et si quam in itinere lasso corpori quietem indulgeant: in nuda tantum humo proiecti cubant, et somnum capiunt. Quod nefas esse dicant. antequam sacram peregrinationem conficiant, et domum quisquam suam redeant: corpora cubili instrato, fulcrisque haerenti reclinare. Sunt autem in ciuitate Hira Xenodochia: quod peregrini diuertant: uidelicet ob id ipsum: certos quosque exterarum ciuitatum publice hospites ibidem habet. Ut municipes uel ignoti benignè ab his recipiantur. Idemque ab Assyrijs Magistri appellantur: propterea: quod uelut Duces quidam aduenas cunctorum admoneant. Nec uero ab his uictimae in sacro mactantur: sed ubi eas ad aram admouerint, in superque libauerint: rursum domum agunt: ubi et immolant ipsi, et precantur. Est et alius sacrificandi ritus: animalia sacra quae immolaturi sunt: coronata a uestribus templi demittunt, quae decidentia ex lapsu pereunt. Nonnulli autem paruos ipsorum liberos in saccum inclusos ab eodem loco se demittere minantur: non tamè ut uictimas iaciunt: sed manibus interim tenent, ac reducunt: eos uero per lusum boues appellant. Praeterea notis quibusdam singuli insigniuntur: partim quidem in manuum iun-

cturis,

Eturis, partim uero in ceruicibus: Quo circa oēs Assyrii stigmatici sunt. Nec uero ille postremo ritus prætereundus fuerit: in quo ijdem cum solo ex Græcis omnibus Troezeniorum populo consentiūt. Etenim Troezenij (ut & hoc obiter referamus) legem tulerunt ne qua uirgo, neue quis adolescens, prius connubio iungeretur: quàm Hippolyto comam detondisset: Quam legem etiam nunc obseruant. Porro eiusmodi consuetudo in ciuitate sacra seruatur: etenim adolescentuli nouã genarum pubem uelut quasdam primitias dedicant: crinesquæ puerorum in ipso statim natali consecrantur. Quos ubi in fanum uenerint, desecant, & desectos hi quidem in argentea multi etiã in aurea uascula includunt, & nomine cuiusquæ in scripto templo affigunt, hisquæ peractis abeunt.

Quin ego ipse cū tener adhuc essem, huiusmodi religionē impleui: meumquæ ipsius & nomen, & crinē in eodem templo cernere adhuc est.

F I N I S.

b

Geor-

GEORGIUS COELIUS
 Laurentio Caceri. S. P. D.



VMA DOLESCENS
 superioribus annis exercendi ingenij
 gratia Græca nonnulla in latinum ser-
 monem uerterem uenit in mentem Lu-
 ciani opusculum de Dea Syria ad ea
 tempora (Quod scirem) ab interpretibus intactum
 latinitate donare. Quod cum absoluissem ut meorum scri-
 ptorum plerunq; me poenitet eo consilio seposueram;
 quod uererer ne non satis eiusmodi interpretatio docto-
 rum hominum auribus satisfaceret. Ita plures annos lu-
 cubratio nostra cum blattis & tineis rationem habuit:
 periisset autem penitus ut fortasse merita erat nisi mihi
 his proximis diebus quibus ab aulico labore feriabar
 scriniola mea uersanti atq; aliud agenti ea ipsa in ma-
 nus incidisset. Cæpit uero mi Laurens continuo queri-
 bunda uoce impietatis me accusare. Quasi eam in uincu-
 lis iniuste, nihilq; tale meritã detinerẽ. Orare igitur me,
 atq; obtestari ut se dimitterẽ ne, ut sibi lucẽ iniderẽ: quod
 si nõ per oĩa satisfaceret saltẽ ætatis nostrę excusatiõẽ
 se usuram esse affirmabat. Itaq; expugnatus tandẽ sum:
 atq; opusculo summatim retexto: & quantum fieri poterat
 emendato.

emendato nunc demum in lucem ædere, atq; Henrico
 illustrissimo & humanissimo Principi dicare consti-
 tui. Priusq; uero id fieret tuo unius iudicio: ut potè uiri
 amiciissimi, eximiaq; doctrina, & ingenio præditi subij-
 ciendum statui: uidelicet ut ueterem meam consuetudi-
 nē retinerem: quæ uis mea scripta acri tua censura: per-
 inde ac Lydio quodam lapide explorandi. Cæterum
 illud meminisse te uelim me in Antiochi amoribus ora-
 tiones Seleuci & Erasistrati: Quas Lucianus paucis
 admodum fuerat executus: iccirco pluribus uerbis di-
 lataste: quòd saluo auctoris sensu: id non ingratiū
 futurum existimarem. Præsta te igitur mi
 Laurens assentatione remota iudicem
 integrum: emenda omnia quæ tibi
 uidebuntur dele, expunge. Ea
 nanq; apud me auctori-
 tas tua est: ut quod tu
 de lucubrationi-
 bus meis sen-
 seris:

id ipsum Oraculi uice merito sim habiturus Vale.

bij Lau-

LAVRENTIVS CACE
res ad Georgium Caelium.



Quam ridiculum tuos amicos
Quos longe exuperas nimis facete
Caeli prodere uelle consulendo.
Quis non suspiciat tuos labores?

A me purius, elegantiusue
Nil lectum memini in libris latinis:
Illa sed magis parte qua diserte
Narras illicitos noueræ amores.
Mitto quod lepide iocis libellus
Miscet seria, fabulasque narrat
Ut sunt omnia dicta Luciano.
De templo Syriæ Deæ uetusto,
Sive hoc Deucalion baratro ab imo
Absorpto mare, seu dicauit Euan,
Seu Semiramis, aut resectus Attis,
Sive uxor miseri patris Seleuci,
In quam Combabus esset ut fidelis
(In terram omen eat) sibi uiriles
Partes exsecuit. Sed ante cœli
Reges negligerem decem Seleucos,

Reginas

Reginas totidem, decemq; regna
 Quam tali cuperem rapi furore.

F I N I S.

IN HOC LIBRO HÆC
 CONTINENTVR.

GEORGII COELII LVSI-
 tani de Patiëtia Christiana liber unus carmine He-
 roico Ad Henricum Infantē Portugalliaë Ar-
 chiepiscopum Bracarensem.

Item Lamentatio Diuæ Mariæ Magdalenaë
 ad Domini nostri Iesu Christi sepulchrum eodem
 authore.

Eiusdem carmen Heroicum ad Ludouicū Infan-
 tem Portugalliaë de simulacbro uirginis Deiparaë
 ab ipso in direptione Urbis Tunetis reperto.

Eiusdem nonnulla epigrāmata & ode monocolos.

Victoria Lusitanorum aduersus Turcas eodem
 authore carmine Heroico.

Eiusdem elegia in obitū Alfonsi Cardinalis In-
 fantis Portugalliaë.


Conquestio Virginis Deiparaë cum Domini no-

GEORGII COELII.

*stri Iesu Christi corpus de cruce depositū est: eodē
authore carmine Heroico.*

➤ *Luciani de Dea Syria liber unus eodem authore
interprete cum præfatione eiusdem carmine Heroi-
co ad Henricum Infantem Portugallia, Archi-
episcopum Bracarensem.*

*Excusum est hoc opus nunc primum æditum & emē
datum, compositum à Georgio Coelio Lusitano
nobili uiro, ac Reuerendissimi Domini excellen-
tissimiq; Principis Henrici Infantis Por-
tugallia, Archiepiscopi Bracaren-
sis, & Hispaniarum Primatis
à secretis. Apud Ludoui-
cum Rothorigum Ty-
pographū Biblio-
polamq; Re-
gium
Anno à uirgineo partu,
M. D. XL.*







*D*monitum te uelim Optime Lector q̄ cū
Lucianus iuxta finem huius libelli hoc uer-
bo hires pro sacerdotibus utatur tamen
superius in eodem libello pro gentili nomi-
ne. i. pro ciuibus Hira ciuitatis eodem uocabulo uide-
tur uti. Cū alioqui Stephanus Hieropolitas eosdem. i.
sacros ciues nominet. Sed & Lucianus statim in prin-
cipio libelli Hirose eosdem appellat, nisi id uerbum ad
sacrificia uelis referre: quod tamen Quadrare minus
uidetur. Aduertendum etiam est q̄ nomen proprium
Attes per duplex. t. & eta a Luciano scribitur: nisi
menda subest: cū passim ab omnibus authoribus Atys
Atyos inflectatur. Ego tamē iuxta Luciani inflexio-
nem interpretari malui. Sed hæc te oro ut boni cōsulas.

ERRATA.

- Folio 35. pagina secunda, linea. xvi. pro Hiris lege sacerdotibus.
Folio 36. pagina priore, linea. xv. lege Adonidi.
Ibidem pagina secunda, linea. xij. lege Adonidi.
Folio 37. pagina secunda, linea. vi. lege dies festos.
Ibidem pagina eadem, linea ultima lege iusurandum.
Folio 39. pagina priore, linea. xi. lege Semiramide.
Ibidem pagina eadem, linea. xvij. lege Atte.
Ibidem pagina eadem, linea eadem, lege Attes.
Ibidem pagina eadem, linea. xxi. lege Atte.
Ibidem pagina eadem, linea antepenultima, lege Atte.
Ibidem pagina secunda, linea. xi. lege Atten.
Folio 50. pagina priore, linea. xvij. lege tecta.
Folio 53. pagina secunda, linea. vi. lege iconica.
Folio 56. pagina priore, linea antepenultima, lege auctiore.

Altem deſte L.^o, imprimis vobis m. ^{lor} annos
ante, Com diverſis poeſis, et ſuma de Con-
ſecratione Cardinalis Alphonſi, Portugallid
Infantis, et quae Confelſa ole meſmo in
genium. De Admiratione de Goy em Carca Latina
de 2 de ſept. br. de 1560, & naõ agradaſſo
am. de ead. ay rareray deſue de ſculpa ibi
Lorrou de opusculo meo, quod ad te
miſi, aliquid dicam, ego id ad te
reſero, ſenquam ad amicorum opti-
mum, quod enim Carmina de Al-
phonſi Cardinalis Conſecratione ſcrip-
ſeram, vel rerum divinarum ſpu-
ritate, vel ſoſtinata nimis editi-
one, vel certi quod illa ſtate
non perinde in poetica ſtudio pro-
moveram minus nonnullis platur-
sunt, nunc vero

